BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
14 — B
39

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

23 A 38
23 B 31

IO. ANTONII VIPERANI MESSANENSIS IVVENATIENSIVM EPISCOPI

Dominicalium Eccleſiæ Orationum

EXPOSITIO.



Colleg. Rom. Catal. Bibl. Card.
Soc. Jesu. Inscript. Bellarm.

SVPERIORVM PERMISSV.

NEAPOLI, Ex Typographia Stelliolæ propè Portam Regalem. M. D. XCVII.

CLEMENTI VIII. PONT. MAX.

IO. ANTONIVS VIPERANVS EPISCOPVS IVVENATIENSIVM.

CVM ſuperioribus annis, Beatiſsime Pater, vt commiſſum mihi gregem pro epiſcopali munere verbo Dei paſcerem, euangelia, quæ diebus dominicis in Eccleſia leguntur, explanaſſem, proximo anno, vt dicendi, audiendique laborem aliqua varietate leuarem, ac ſimul animarum ſaluti prodeſſem, orationes, quas dominicis diebus in ſa-

crificio Miſſæ fidelium nomine Sacerdos ad Deum habet, vocantq; collectas, expoſui. Quæ quidem orationes à doctiſsimis, ſanctiſsimiſq; hominibus et ſapientiſsimarum ſententiarum concinnitate, et grauiſsimorum verborum ornatu, & numerorũ aptè ſub aures cadentium moderatione ſummo nobis opere commendantur. Expoſui autem, vt indoctis, doctiſq; placerem, ſic: ſenſum totius orationis expreſsi; verborum notiones, atque contextum euolui; ſententias explicui, ac nonnullarum rerum ſcitu dignarum adhibitis amplificationibus illuſtraui. Quæ expoſitio cùm ferè omnibus auditoribus placuiſſet, rogatus ſum à multis, vt ipſam ſcriptis mandarem; quòd quamplurimis gratam, & iucundam fore cenſerent. Itaq; ſiui me exorari. Et quoniam hæ orationes, ſiue collectæ à ſummis Pontificibus vel compoſitæ, vel approbatæ ſunt, ideò ipſarum expoſitionem tuo CLEMENS nomini dedico, vt tua maxima authoritate probetur.

IO. ANTONII VIPERANI DOMINICALIVM ECCLESIAE ORATIONVM EXPOSITIO.

De Oratione.

PROPOSITVM nobis eſt orationes, quas in ſacrificio Miſſæ dominicis diebus fidelium nomine Sacerdos ad Deum habet, vocantq; collectas, exponere: optamuſque, vt noſter hic labor, iuuante Deo, aliquibus proſit, non omnino inanis euadat. Sed de oratione priùs quædam vniuersè dicenda videntur. Oratio apud latinæ linguæ authores ſignificat omnem locutionem tam communem & vulgarem, quæ propriè dicitur ſermo, quàm politam & ornatam, quam orator vendicat ſuam,

ſuam, quòd ipſe verborum elegantiam & ornatum inuenerit: à ſacrarum rerum ſcriptoribus verò vſurpatur non ſolùm pro locutione, verùm etiam pro oratu, præſertimque eo, quo à Deo quidpiam oramus: qui vnus eſt à nobis præcipuè orandus; quoniam ipſe vnus eſt omnium author, datorque bonorum. Quidam (vt omittam, quia nullæ ſunt, differentias, quas inter orationem, obſecrationem, precationem, poſtulationem afferunt nonnulli: quòd oratio eſt, qua nos Deo deuouemus; obſecratio, qua peccatorum veniam imploramus; precatio, qua Dei Sanctos aliquid rogamus; poſtulatio, qua rem aliquam ab hominibus petimus) docent orationis voce nunc precationem, nunc aſcenſum mentis ad Deum, nunc pij erga Deum animi affectum, nunc bonam actionem ſignificari. miror quòd non addiderint etiam ſignificari contemplationem humanæ fragilitatis, & egeſtatis, ac diuinæ virtutis, & bonitatis: ſiquidem harum rerum contemplatio fundamentum eſt omnis orationis. Sed quid oratio ſit videamus. ſic enim quæ ſit eius propria ſignificatio patebit. Ioannes Damaſcenus orationem finit aſcenſum mentis ad Deum. quocircà quidam dixerunt orationis voce ſignificari mentis aſcenſum ad Deum. At certè non eſt idem aſcendere, quod precari: & haud dubiè oratio precatio eſt: quanquàm ſinè mentis ad cælum aſcenſu nulla eſt. Oportet enim eum, qui à Deo quidpiam precari vult, ad ipſum accedere. accedit autem ad Deum, qui in cælis eſt, cùm ad ipſum mente in cælum aſcendit. Ego ipſam finirem bonarum rerum à Deo precationem. Quòd ſit precatio, certum eſt. nam hæc eſt orationis in ſcripturis ſacris prima, & propria ſignificatio: nec dubium eſt, quin ſit rerum bonarum, ſci-

Lib. 3.

licet nobis vtilium, & Deo dignarum? Quis enim ſibi malum vllum precetur, ſi quiſque amans eſt ſui? aut quis à Deo, ni omnino amens, vel inſipiens ſit, audeat orare, quod turpe, iniquumue ſit: cùm à diuino numine omnis turpitudo, & iniquitas abſit? Quarè quod à Deo petimus debet nobis vtile, & diuina maieſtate dignum eſſe. Ioannes Damaſcenus verò magis diuinæ naturæ dignitatem, quàm noſtram egeſtatem reſpiciens, orationem quoque definit decentium poſtulationem: quòd nihil à Deo poſtulandum ſit, quod eius amplitudinem dedeceat: ni decentia interpretari velis diuinæ maieſtati, & noſtræ humanitati conuenientia. Quòd autem à Deo, non ab alio precari bona oporteat, hoc etiam ratum & firmum eſt: quandoquidem ab ipſo vno bona omnia ſunt: &(vt in Euangelio B. Ioannis legitur) non poteſt homo accipere quicquàm, niſi datum fuerit ei de cælo. Nec, ſi res aliquas interdum ab hominibus poſcimus, illæ nos bonos, & felices (quod maximè expetendum eſt) efficiunt, aut ipſorum proprij iuris ſunt, aut Deo nolente donantur. Quando igitur bonorum omnium dator vnus eſt Deus, qui vnus bonorum omnium eſt dominus, nec precamur niſi bona, rectè mihi videor orationem definiſſe bonarum rerum à Deo precationem. Quid autem à Deo potiſsimùm optare debeamus; num etiam interdum nobis liceat cuiquàm malum aliquod precari, infrà dicetur: nunc, quæ in oratione ſpectentur, diligenter aduertamus. Spectantur autem & is, qui orat, & is, quem orat, & id, quod orat. Eſt qui orat egens, ſicut qui gemit eſt dolens. Nemo enim ab aliquo rogat, niſi quod optat habere: neque optat habere, niſi quod ſibi opus eſſe cognoſcit. Quarè deſiderium eſt appetitio boni, quo nos carere

Lib. 3.

Cap. 3.

rere ſentimus: & interpres deſiderij eſt oratio. Igitur omnis orans eſt egens: atque etiam poteſtate inferior
Rom. 8. eo, quem orat; & reuerens eſt. Nec ſi B. Paulus inquit, Spiritum ſanctum gemitibus inenarrabilibus poſtulare pro nobis, hoc ita inquit, tanquàm ipſe Spiritus ſanctus gemat, & poſtulet: ſed tanquàm is, qui gemere, & poſtulare nos inſtruit, peccatorum pœnitudinem, & bonorum, quæ verè bona ſunt, deſiderium ingenerans. Et Chriſtus ſi patrem rogat, non quà verbum æternum eſt (ſic enim æqualis eſt patri) ſed quà homo eſt (ſic enim minor eſt patre) rogat. Iam is, quem oramus, Deus eſt, dominus omnium, cuius ſunt omnia bona, quique eſt
Rom. 10 diues in omnes. Ipſe gratiam, & gloriam dat; ipſe leua-
Pſal. 83. re egeſtatem, ſubuenire ſolicitudini, ſatisfacere poſtulationi, explere noſtrum deſiderium poteſt. Dum igitur Deo ſupplicamus, tum eius nos bonis egere fatemur, tum diuinam maieſtatem auguſtè ſanctèque veneramur. Sanctos Dei verò, qui ſempiternum æuum agunt in cælis, precamur, non vt authores, datoresue bonorum, ſed vt oratores pro nobis apud Deum, atque patronos. Neque ob id diuinæ maieſtati, ac benignitati quicquàm detrahimus, cùm in noſtris neceſsitatibus ad Dei familiares cõfugimus. Non enim eos rogamus, tanquàm ab ipſis gratiam, & gloriam accepturi, ſed tanquàm per ipſos à Deo aliqua beneficia habituri. Et mihi quidem perſuadeo, quòd magnus ille dux Hebræorum Moyſes, ſi credidiſſet Deum Sanctorum ſuorum rationem nullam habere, dum à nobis per ipſorum merita oratur, nunquàm ipſum rogaſſet, vt, ſanctorum patrum Abraham, Iſaac, Iacob memoriam habens, contra populi ex illorum ſatu orti peccata ſuam propitius iram & indignationem contineret. Quarè ſi Sanctos

ſuos

ſuos vult Deus à nobis honorari, quos æterna ipſe gloria decorauit, credamus Deum ipſorum pro nobis orationes audire, ipſorumque gratia noſtris votis optatiſque fauere. Nec, ſi Dei Sanctis glorioſum eſt à nobis honorari, & orari, ambigendum eſt nos orantes ab ipſis, volente Deo, audiri, & videri. Vident autem, & audiunt nos in Dei verbo: in quo præſentia, & aperta ſunt omnia. Cùm verò Deum pro nobis orant, non illi noſtras neceſſitates ſignificant, cui nihil eſt occultum, ſed precantur, vt pro ſua clementia, ſuorumq; familiarium patrocinio nobis afflictis, miſeris, ærumnoſiſque ſubueniat. Tertium, quòd in oratione ſpectatur, eſt id, quod oramus: quod quidem non eſt, niſi bonum. Cùm bonum dico, id intelligi volo, quod naturæ cuiuſque conuenit. Bonorum eſt ab omnibus illa recepta diuiſio in animi, corporis, & externa bona, quæ nimirum extra noſtri corporis, & animi naturam ſunt; quales ſunt opes, & dignitates: quæ vulgus fortunæ bona nominat; quòd à fortuna dari putet, quid fortuna ſit non ſatis intelligens. Bona corporis ſunt ſanitas, robur, & pulchritudo. Animi verò bona ſunt virtutes: quarum quædam à natura inſitæ ſunt, vt memoria, ingenium, iudicium, vel certè naturæ donis maximè adnituntur, vt bonarum artium cognitiones atque doctrinæ; quædam voluntariæ ſunt, quæ bonarum actionum vſu comparantur, vt virtutes, quas vocant morales, quòd omnem appetitum aut per ſe capacem rationis, aut aptum obedire rationi perficiunt. Sed præter humanas virtutes ſunt aliæ diuinæ, quæ non humano ſtudio acquiruntur, ſed diuino quodam munere humanis mentibus infunduntur: ſinè quibus acquiri felicitas æterna non poteſt. Quæ quidem bona Theologi gra-

tuita nominant, quòd à mera Dei gratia ſint: ſicut naturalia vocant ea, quæ à natura ſunt; quanquàm & ipſa natura Dei munus eſt. Eſt inſuper horum omnium bonorum alia diuiſio in expetenda per ſe, & propter alia. Expetuntur per ſe, quæ in ſe ipſis habent vt expetantur. Sunt autem ea, quæ excellentem quandam præſtantiam habent. Huiuſmodi ſunt virtutes, quæ in ſe ipſis habent cur amentur: quoniam vi ſua bonis alijs excellunt. Atque hæc bona vocantur honeſta: quoniam honor excellentiæ debetur. At, quæ propter alia expetuntur, dicuntur vtilia; cuiuſmodi ſunt externa, & corporis bona: ſiquidem externa corpori; corpus verò animæ deſeruit. Quidam etiam bona diuidunt in temporalia, ſpiritualia, æterna. Temporalia vocant, quæ ad quoddam tempus durant, vt bona corporis, & externa. Spiritualia verò, quæ ſunt ſpiritus, ſiue animi, vt virtutes, atque doctrinæ. Quorum bonorum quædam neceſſaria ſunt, nempe ſinè quibus æterna vita parari non poteſt, vt Dei gratia, diuinæque virtutes, & dona; quædam non neceſſaria, vt multarum rerum cognitiones, ſinè quibus poteſt homo fieri bèatus. At æterna bona ſunt, quæ ſemper manent, vt ea, quæ diligentibus ſe Deus in cælo præparauit: ad quæ conſequenda debemus reliqua bona referre. Nec verò eadem ratione quodq; horum bonorum poſcemus; cùm ad animæ ſalutem alia neceſſaria ſint, alia non neceſſaria, & alijs alia nobiliora. Nam ea, quæ in ſe ipſis habent cur expetantur, magis optanda ſunt, quàm ea, quæ aliorum gratia petuntur; & finis magis, quàm ea, quæ ſpectant ad finem. Salutem noſtram, & quæ ad eius adeptionem, & tuitionem faciunt, vt cæleſtis gratia, diuinæ virtutes, æterna dona, ſimpliciter & abſolu-

tè efflagitabimus, tum quia neceſſaria omnino ſunt, tum quia ipſis malè vti non poſſumus, tum quia ſcimus Deo cordi eſſe; quippe ad quæ petenda nos ipſemet Deus inuitat. Itaque cùm iſthæc petimus à Deo, quem ſcimus velle omnes homines ſaluos fieri, noſtram cum diuina voluntatem conformamus. Bona verò, quorum poſſeſsio nos beatos neutiquàm facit, cuiuſmodi ſunt bona corporis, & externa, non precabimur à Deo ſimpliciter & abſolutè, ſed cum conditione, ſi cenſuerit nobis ſalutaria fore. Fas eſt autem nobis iſta quærere, quia fas eſt iſta deſiderare, quòd ad victum, & veſtitum nobis neceſſaria ſint, ac quædam ad virtutem, atque felicitatem adiumenta. Sed quia ſolus Deus nouit quæ nobis magis expediant, cùm aliquod iſtorum bonorum optamus, debemus optatum noſtrum ad diuinam voluntatem componere, atque in poſtulatione adijcere fiat voluntas tua. Neque ſolùm precamur à Deo dari nobis bona, verùm etiam depelli à nobis mala, ſimpliciter quidem ea, quæ perniciem & exitium animæ adferunt, qualia ſunt vitia, & peccata, quæ diuinæ potentiæ, ſapientiæ, ac bonitati contraria ſunt; non ſimpliciter verò ea, quæ pernicioſa animæ non ſunt, rectiuſq; dicuntur incommoda, cuiuſmodi ſunt mala corporis, & externa, infirmitates, inquàm, egeſtates, ſolitudineſque liberorum. quæ tamen interdum ad animæ ſalutem conferunt: ſed quando conferant vnus Deus ſcit, qui ſapientiſsimè vniuerſa gubernat. Cæterùm quæ pro nobis, eadem pro noſtris proximis petemus, quos æquè, ac nos ipſos diuino iuſſu amare debemus. Inimicis verò noſtris, non quos nos odimus, quia nefas eſt nobis quenquàm odiſſe, ſed qui nos oderunt, præſertimque religionis Chriſtianæ hoſtibus,

1. Tim. 2

cùm ſint nobis naturæ cognatione proximi, nullo modo licet malum vllum optare, quod exitioſum animæ ſit: tamen interdum licet aliquod illis detrimentum precari dumtaxat ea ratione, vt affecti aliquo vitæ incommodo ſapiant; & Diaboli tyrannis deleatur, & Chriſti fides, atque religio quamlatiſsimè amplificetur. Iam accedendi ad Deum, ipſumq́; orandi tanta eſt cuiq; facultas, vt nemo iuſtam excuſationem vnquàm attulerit, ſi ad Deum ire, & diuinam benignitatem orare neglexerit. Non enim dicet aditum ad Deum eſſe difficilem, cæli veſtibulum non ſemper patere, quemuis in regiam aulam non admitti, duros famulos, aſperiorem dominum. Nam quouis temporis momento cuiuis integrum eſt ad Deum accedere, ac quanto libet tempore cum ipſo loqui, atq; amicè blandeq́; audiri. Sed debet quiſquis vult ad Deum adire quidpiam ab ipſo precaturus, animam ſuam (vt Eccleſiaſticus monet) ante

Cap. 18. orationem præparare. Præparamus autem animam, curas omnes depellendo, ac motus animi componendo, ſic, vt tranquillum cor, & omni perturbatione ſedatum exiſtat: cæteroquin perturbato animo, & inanibus curis implicito, nunquàm in Deum mentem intenderimus. Ad ſedandos animi motus, & intendendam cogitationem in Deum plurimùm valet ieiunium: quo mens ab intima ſenſuum familiaritate retrahitur, & contra voluptatum illecebras audentior redditur. Quapropter quando magnum aliquod beneficium à Deo petere volumus, monemur cum oratione ſociare ieiunium. Sedatis motibus animi, depulſiſq́; terrenarum rerum curis, quæ ad cælum animi conſcenſum retardant, & à propoſito mentem auertunt, & orationem interrumpunt, duas cogitationes ſuſcipere debemus,

vnam de noſtra imbecillitate, & egeſtate, alteram de diuina virtute, & bonitate: illa pertinet ad humilitatem, hæc ad pietatem. Quæ cogitationes, perinde ac pietas, & humilitas, ita coniunctæ ſunt inter ſe, vt altera nequeat ab altera ſeiungi. Non enim Deum veneraremur, ni crederemus vitam noſtram & ſalutem ex eius bonitate & benignitate pendere; neque ab eo munus vllum, & commodum peteremus, ſi nullam noſtram indigentiam, & imbecillitatem agnoſceremus: & quò quis humilior, eò etiam magis pius eſt; & quò magis pius, eò etiam eſt humilior. Cogitamus autem de noſtra inopia, non vt ipſam Deo manifeſtam faciamus (ſcit enim Deus pater noſter quibus rebus indigemus) *Matt. 6.* ſed vt animo ſtatuamus in noſtris neceſſitatibus ad vnam Dei confugiendum eſſe beneficentiam. Cumq; Deum eſſe omnium bonorum authorem prædicamus, ipſum honoramus: neq; honoramus, quòd aliquid gloriæ ipſi ex noſtra veneratione accedat, qui omni gloria redundat, ſed vt nos ipſos eius poteſtati ſubijciamus. Cui ſanè nos ſubijcimus, cùm fatemur nos eius beneficijs indigere. Qua quidem ſubiectione mens noſtra perficitur: quia, ſe Deo ſubijciendo, cum ipſo coniungitur: in qua coniunctione felicitas noſtra ſita eſt. His duabus igitur & de noſtra mendicitate, & de diuina liberalitate cogitationibus, è quibus tanquàm initijs profecta religio eſt, quaſi fundamentis oratio nititur. nam religio Deum veneratur, quem humanis rebus proſpicere credit: oratio verò ab eodem, quem colit, ſubſidia vitæ, ſalutemq; depoſcit. Quocircà dicitur oratio eſſe opus religionis. Et quoniam noſtrarum miſeriarum, & diuinarum virtutum contemplatio antecedit orationem, accidit, vt oratio frequenter pro harum

rerum

rerum contemplatione ponatur: ſed quæ tamen aliquam precationem admiſtam habeat. Sæpè etiam ponitur pro pio animi, quo Deum amplectimur, affectu: ſiquidem erga Deum piè afficitur, qui à Deo ſibi benè eſſe ſcit, atq; exaudiri preces ſuas ab ipſo deſiderat. Ergo qui ad Deum adit, ipſum pro ſe, ſuisue oraturus, cum humilitate, & pietate adeat: quoniam (vt Eccle-
Cap. 35. ſiaſticus ait) Oratio humiliantis ſe penetrat cælos. Et
Pſ. 101. Dauid Reſpexit, inquit, in orationem humilium, & non
Cap. 9. ſpreuit preces eorum. & Iudith ſanctiſsima, & præclariſſima mulier cum Deo loquens Manſuetorum, inquit, & humilium tibi Domine ſemper placuit oratio. Humilitati contraria eſt arrogantia. Arrogantis oratio non aſcendit in cælum, diuina maieſtate humanæ reſiſtente ſuperbiæ. Non certè præparauit animam ſuam
Luc. 18. ante orationem arrogans ille Phariſæus, qui templum ingreſſus Deum oraturus, à Deo nihil orauit; dumtaxat magnificis quibuſdam verbis ſuam religionem, & iuſtitiam extulit. Quamobrem non modò nihil accepit à Deo, qui nihil à Deo petijt. quid enim is peteret, qui nihil ſibi deeſſe putabat? ſed odioſus Deo fuit; quòd iuſtitiam, quam nullam habebat, falsò, & importunè iactaſſet. Nec verò neceſſum eſſe arbitror monere, vt in primis noſtra malè acta vita doleamus: quoniam (vt
Pſ. 68. Dauid ait) ſi iniquitatem aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Non enim qui vacuus eſt diuina illa gratia, quæ Deo gratum hominem facit, promereri beatitudinem poteſt, quam præ cæteris rebus optare debemus. Atqui gratia gratum faciente vacuus eſt, quem peccatorum non pœnitet. quippe hominem à Deo peccata nimiùm alienant. Neq; hoc à me quiſquàm ita dici putet, vt ſentiam peccatorem (voco pec-
catorem

catorem non eum, qui aliquando peccauit; ſic enim omnes peccatores ſumus; ſed eum, qui in peccatis perſtat) nulla ratione debere orare Deum, quòd nullo modo mereatur ab ipſo audiri. nam omnis, qui petit (vt B. Chryſoſtomus ait) accipit, ſiue iuſtus, ſiue iniuſtus. Sed vt enitamur Deo grati eſſe, à quo preces noſtræ merito quodam exaudiantur. Iuſti orationem Theologi propter diuinam in ipſo habitantem gratiam, quæ promerendi à Deo beatitudinem, &, quæ ad beatitudinem faciunt, bona principium, & cauſa eſt, vocant meritoriam; quæ reſpicit æquam diuinæ iuſtitiæ retributionem; vt perſpicuum fiet, cùm de merito loquemur: iniuſti orationem verò vocant impetratoriam; quam Deus pro ſua tantùm benignitate & clementia exaudit. Tanta eſt Dei bonitas, vt in omnes ſeſe ipſa diffundat. Nam & hoc ipſum, quod peccator ad Deum aliquid oraturus accedat, donum Dei eſt. Atque vt cæteræ peccatoris actiones genere quodam bonæ, non autem forma, quòd, quia charitatis expertes ſunt, informes ſint, veluti ieiunia, & eleemoſynæ, quas ſinè charitate facit, ſic etiam oratio apta eſt cor eius præparare ad recipiendam diuinam illam gratiam, quæ cauſa eſt, & principium diuinam mercedem promerendi à Deo. Multa quoq; præter animæ ſalutem ſunt vitæ commoda, quæ peccatori vel ex diuinarum rerum, licet informi, fide, quam habet, vel ex naturali quodam deſiderio illa cupienti & optanti pro ſua Deus beneficentia, qua etiam malè merenti benè facit, plerunque concedit: aut etiam vt aliquod eius rectè factum, non tamen æterna mercede dignum, aliquo terreno munere compenſet; ita vt nullum rectè factum non remuneratum relinquat. Accedentes verò cum dolore peccatorum ad

Dom. 11. poſt Pét.

Deum,

Pſal. 50. Deum, qui cor contritum & humiliatum non deſpicit, etiam cum pudore accedemus, non aliter ac publica-
Luc. 18. nus ille, qui à Deo peccatorum veniam orans, non audebat in cælum oculos attollere, quòd diuinam maieſtatem læſiſſet. At verò vt noſtra Dei auribus percipiatur oratio, tres potiſſimè debet (vt viri pij tradunt) habere conditiones: quarum prima eſt, vt res ad animæ ſalutem neceſſarias; altera, vt cum fiducia; tertia, vt
1. Tim. 2 conſtanter petamus. Nam, quia Deus vult omnes homines ſaluos fieri, cùm ſalutem oramus, à diuina voluntate non diſſentimus. Quamobrem ſimpliciter & abſolutè noſtram ſalutem poſtulamus: ad quam poſtulandam nos ipſe dator ſalutis hortatur, ac ſimul ad ipſam conſequendam multiplicia exhibet adiumenta. Bona verò corporis, & externa precantibus non ſemper Deus illa concedit, quæ non ſemper vtilia fore cognoſcit. Nouit enim optimus, & peritiſſimus medicus quid cuique ſalubre ſit. Nulli igitur mirum ſit, ſi preces noſtræ minùs exaudiuntur, quando magis corporis, & externa, quàm animi bona deſideramus: verumq; eſt,
Cap. 4. quod B. Iacobus ait, Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis. Malè petimus, quando in nomine Ieſu non oramus, hoc eſt, animæ ſalutem non petimus. Ieſus enim nomen Hebraicum latinè ſaluatorem, ſeu datorem ſalutis ſignificat. Proinde Chriſtus Ieſus di-
Io. 16. ſcipulos ſuos monuit, vt in nomine ſuo Deum patrem orarent: hortatuſq; eſt, ne de rebus corporeis nimiùm
Matt. 6. ſoliciti eſſent, ſed primùm omnium Dei regnum quærerent, & iuſtitiam eius: deinde ipſis omnia hæc, quæ ad alendum, & conſeruandum corpus neceſſaria ſunt, additum iri. Etenim veri adoratores non hæc terrena & caduca, ſed illa cæleſtia & æterna bona efflagitant.

Ii ſanè Deum, qui ſpiritus eſt, ſicuti adorandus eſt, in *Io. 4.*
ſpiritu adorant; quia ipſum Deum quærunt: non autem adorant in ſpiritu, qui terrena & mortalia concupiſcunt. Præclarè igitur B. Bernardus Orare, inquit, eſt Deum quærere. Altera conditio eſt, vt cum fiducia oremus: ſiquidem ſperantem in Domino diuina miſe- *Pſ. 31.*
ricordia circundat. Fiduciam fides generat, dum oſtendit omnipotentiam, & miſericordiam Dei; quòd poſſit, & velit nobis benefacere. Poteſt quidem, quoniam in manu eius ſunt omnia: vult verò, quia nos valdè diligit; pro quibus carnem ſumere, & mortem obire non dubitauit. Qui ſi pro nobis ſe ipſum morti dedit; *Rom. 8.*
cur non alia ſecum nobis etiam donabit? Atq; hanc fiduciam quotidiana eius in nos beneficia confirmare etiam atq; etiam debent. Poſtulemus igitur (vt B. Ia- *Cap. 1.*
cobus monet) cum fiducia, nihil hæſitantes; ne noſtram orationem, quòd in ipſo minùs confidamus, reſpuat. Tertia conditio eſt, vt conſtanter oremus; ne mens in alias cogitationes diſtrahatur, atq; huc, illucq; euagetur. Hoc profectò nos B. Petrus Apoſtolus ad- *1. Cap. 4.*
monet, cùm præcipit, vt in orationibus vigilantes, hoc eſt, diligentes, & attenti ſimus: ne mentis noſtræ intentionem, quam Dauid clamorem cordis appellat, *Pſ. 5.*
aliæ cogitationes retundant, & feruorem animi terrenarum rerum cura reſtinguat. Quàm verò turpe, & indecorum ſit precantem à Deo quidpiam, quòd impetrare deſiderat, aliò cogitationem auertere, poteſt ex hoc perſpici, quòd ſi quis à rege ſuppliciter aliquid petens, os, & ſermonem aliò conuerteret, atq; inepta loqueretur, irrideretur vt amens, & vt ineptus è conſpectu regis protinus eijceretur. Et pulchrè cogitatio- *Eccl. 10.*
nes malæ inter orandum interuenientes, ſimiles muſcis

habentur, quæ incidentes in vnguentum perdunt ſuauitatem odoris. Oblectat ſanè Deum humilis, & pij viri oratio, perinde vt ſuauitas odorum ſenſum odorandi ſuauiter afficit. Itaque ſuaui aromatum fumo, qui
Apoc.8. in cælum aſcendit, humilium, & piorum hominum orationes etiam aſſimilantur. Aſſimilantur quoq; propter mentis intentionem, & animi ardorem incenſo,
Pſ. 140. quod in conſpectum Dei ſurſum dirigitur. Quamobrem importunas, & malas cogitationes, tanquàm muſcas inter orandum incurrentes, à nobis protinus abigamus. At inquies fieri non poſſe, vt mens humana ſemper ad id, quod oratur, attenta ſit, deprimente animam corpore, deorſumq; trahente. Neq; ſolùm imperfectis, verùm etiam perfectis hominibus hoc ſæpè accidit, vt ab orationis propoſito mens eorum ſæpè recedat. Sed aliud eſt de induſtria, vel ex negligentia ſinere mentem euagari, aliud ex infirmitate naturæ, quæ in alto loco diù ſtare non poteſt. Nam quando ex fragilitate non potes ante conſpectum eius diù aſſiſtere, facilè ignoſcit Deus miſertus fragilitatis humanæ: neq; tunc vim ſuam oratio, fructumq; deperdit. at cùm volens è conſpectu Dei te ipſum abducis, & aſſiſtere negligis, oratio deterior fit: nec modò non impetras quod oras, ſed contemneris; nec placas, ſed irritas Deum: quanquàm ad ſentiendam animo delectationem, quæ ex oratione percipitur, oportet attentam mentem ſemper habere. Quando igitur attentam mentem pro humana fragilitate ſemper habere non poſſumus, ſtudeamus bonum propoſitum, quo cœpimus orare, ſemper tenere: ſiquidem clemens & miſericors Deus orantis propoſitum maximè reſpicit. Ne verò cadas animo, quando non ſtatim impetras quod oras.

Neq; enim ſua dona Deus vult, quæ magni ducenda ſunt, parui haberi. haberentur autem parui, ſi cuiq; petenti facilè concederentur. ac decet magnitudinem deſiderij cum doni magnitudine coæquari. Adhoc tentare vult Deus fidem noſtram, quam in ipſum habemus: quæ porrò in longa conſtantia & perſeuerantia cognoſcitur. Poſtremò vult concupitæ rei deſiderium in orantis animo magis accendi; vt illam deinde chariorem habeat, cautiuſq; conſeruet. Harum trium conditionum ſi qua deeſt, nimirùm ſi aut inutile nobis eſt, quod oramus, minuſue vtile, ſicut B. Paulo precanti auferri à ſe ſtimulum carnis reſponſum eſt à Deo, Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur; vel alio potiore munere compenſatur: aut ſi minùs diuinæ potentiæ, ac beneuolentiæ fidimus: aut ſi leuis adeò eſt animi affectus, vt nullo modo reſpici debeat; non impetrabimus quod à Deo pro nobis oramus. Cùm verò pro alijs oramus, licet conditiones orationis ſeruemus, non tamen ſemper exoramus; quandoquidem is, pro quo oramus, ſua culpa non eſt diuino beneficio dignus. Vnde per Hieremiam dicit Deus, Si ſteterint Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum. Cur? quia populus ipſe longè eſt à Deo; à quo peccando longè receſſit. Non tamen erit oratio inutilis. nam ipſis proderit orantibus. Hoc eſt, quòd Dauid ait, Oratio mea in ſinu meo conuertetur. quia ſi non alijs, pro quibus oro, at mihi proderit; nec fructu debito defraudabor. Nulla equidem oratio peruadens in cælum inanis è cælo reuertitur. Sed de longitudine orationis quæri ſolet quanta eſſe debeat. Etenim Chriſtus ſuis diſcipulis edicens Oportet ſemper orare, & nunquàm deficere, vi-

2. Cor. 12 — Cap. 15. — Pſ. 34. — Luc. 18.

detur aſſerere orationem debere eſſe continuatam; atq; perennem. hoc ipſum quoq; B. Paulus Theſſalonicenſibus ſcribit, Sine intermiſsione orate. verùm fieri non poteſt, vt oratio nullo temporis momento interrumpatur non ſolùm ab alijs interuenientibus cogitationibus, ſed etiam à multis neceſſitatibus corporis, vt à cibo, & ſomno, ac rei familiaris, & domus curis: quæ hominem perpetuò vacare orationi non ſinunt. Proinde nonnulli ſemper orare interpretantur ſemper ſuis horis orare: quòd cuique pro vitæ ſuæ ſtatu & conditione conſtituta ſunt tempora orandi; quæ prætermitti minimè debent. At alij ſemper orare interpretantur ſemper benè agere: quoniam qui benè agit, veluti qui benè ſeruit, tacendo mercedem poſtulat. Seruit autem Deo qui benè agit. Hinc venerabilis Beda dici etiam orationem ait quicquid in obſequium Dei fit. Quare ſuprà diximus orationem à quibuſdam pro bona actione vſurpari. Aliqui verò, & meo quidem iudicio doctè, ſemper orandum aiunt habitu animi, non actu: quoniam pro neceſſitatibus corporis, & humanæ vitæ curis ſemper actu, ſeu re ipſa orare non poſſumus: attamen orationis habitum, qui eſt charitas, ſemper tenere debemus, vt animum orandi ſemper habeamus. Et quidem quò quiſque in oratione frequentior, eò certè eſt Deo coniunctior, atq; perfectior. Ac debet quiſq; piorum, & doctorum hominum conſilium ſequens, orationem ſuam continuare, donec ardorem animi reſtinctum ſentiat, neque vllam prætereà dulcedinem hauriat, mox ad ipſam orationem feruentior rediturus. Laudanturq; breues, & acutæ, tanquàm iacula quædam, in cælum frequenter emiſſæ toto ex corde orationes: quibus & paratus ad orationem animus ſemper

1. Theſſ. vlt.

per

per habetur, & diuina beneuolentia præclarè, optimeq; colligitur. Nec dicat Auerroes cum cæteris fatuis, amentibuſque philoſophis Deum preces noſtras non audire, quòd res humanas minimè curet. Quis enim vlla ratione ſibi perſuadeat maximum, & optimum Deum ſalutem hominis deſpicere, cuius gratia cuncta creauit? Sed, quòd Deus hominum ſaluti, & vtilitatibus proſpiciat; ſatis in eo libro, quem de diuina prouidentia ſcripſimus, oſtendimus. vbi quoq; illorum ſtultitiam reprehendimus, qui credunt omnia fato fieri, hoc eſt, neceſſitate quadam: quam ſidera certis cæli locis conſtituta his rebus inferioribus, tanquàm ratam & immutabilem quandam legem, imponunt, vt ne à Deo quidem ipſo reſcindi, mutariue poſſit. Quare iſtorum ſententia non foret Deus totius orbis imperator; neq; vllæ hominum actiones eſſent voluntariæ; ac deinceps neque laudabiles, neq; vituperabiles, neque præmio, neq; pœna dignæ. quam ſententiam omnium ſanctorum, & doctorum hominum animi reſpuunt. Sed ad illud argumentum arbitror reſpondendum, quo nonnulli probant Dei mentem & voluntatem, quoniam immutabilis eſt, nullis votis & precibus flecti. quare ſuperuacaneum eſſe rem vllam precari à Deo, qui nullo vnquàm pacto ſuam declinat à propoſito ſententiam. Nos fatemur Dei mentem nulla vnquàm ratione mutari: neque Deum oramus, vt conſilium mutet, ſed vt oratus donet, quod ſic donare propoſuit. Quòd ſi aliquando videtur aliqua mutatio fieri, non diuinæ voluntatis illa, ſed rei eſt, quæ vi ſua mutabilis eſt. Id quod exiſtimo doceri planè poſſe hoc vno Ezechiæ regis exemplo: qui ab Eſaia Dei nomine monitus, vt domui ſuæ diſponeret, quòd paucos poſt dies Eſa. 38.

mori-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

moriturus eſſet, Deum cum lacrymis precatus eſt, vt longiorem ſibi vitam concederet: atque impetrauit. Quam hic rem dices pertuliſſe mutationem? Certè Ezechiæ vitæ finis inſtabat lege naturæ præſcriptus; qui nullius vi, ni vnius Dei potentia dominantis vniuerſitati rerum produci poterat: & Dei beneficentia productus eſt. Dices profectò non in diuinam voluntatem, quæ ſemper idem voluit; ſed in Ezechiæ vitam, quæ varietati obnoxia erat, incidiſſe mutationem? Vult autem, immo verò etiam hortatur nos Deus ea poſtulare, quæ nobis ipſe dare conſtituit, dum quærere, petere, pulſare hortatur multis de cauſis; quæ ad vtilitatem noſtram ſpectant: videlicet, vt ſeuocare animum à ſenſuum ſocietate diſcamus; quæ ſeuocatio etiam ſummorum philoſophorum ſententia eſt ſapientum virorum mors, perfectæ inquàm ſapientiæ opus: vtq; etiam aſſueſcamus conſuetudinem cum Deo, beneuolentiamq; coniungere; cuius charitate continetur noſtra felicitas: ob id Deus, qui nobis benè cupit, charitatem, quæ inter ipſum & nos eſt, amat. Quarè quò frequentiùs Deum oramus, eò maiorem cùm Deo conſuetudinem habemus; quæ charitatem corroborat, atque confirmat. Valet quoq; oratio ad exercendam humilitatem: quia, dum oramus, egeſtatem noſtram, & imbecillitatem confitemur: quod quidem opus eſt humilitatis. Orans præterea ſe ipſum Deo conſecrat, cui ſeſe offert. quo ſacrificio peccatorum venia impetratur. Satisfacit quoq; pro peccatis, dum mens, & corpus orando laborant. Proin Chriſtus, qui ſic vitam ſuam inſtituit, vt nobis viuendi norma eſſet; frequenter & aſſiduè orans, etiam exemplo ſuo nos ad orandum excitauit; quòd ex oratione magnas, & innume-

Luc. 11.

numeras vtilitates perciperemus. Nec verbis exprimi poteſt quanta ex oratione capiatur animi delectatio atq; voluptas. Quis enim intelligens ſe in cæleſtem aulam facilè admiſſum, & à Deo benignè exceptum, non ingente iucunditate perfunditur? Quis Dei pedes verecundè complectens, & paterno receptus amplexu, non magna exultatione triumphat? Quis peccatorum veniam humiliter petens, ac clementer datam intelligens, non ſingulari delectatione afficitur? Quis cũ Deo familiariter colloquens, atq; illum de magnis, dubijſq; rebus conſulens, non incredibili lætitia geſtit? Hæc dici quidem poſſunt, ſed credi niſi à viris pijs non poſſunt; qui hæc, quæ à nobis dicuntur, vera eſſe didicerunt experientia. At verò quanta ſit virtus orationis & efficacitas, quiſquis ſacros libros, & ſanctorum hominum acta legerit, apertè cognoſcet. Nam morbos ſanat, valetudinem reſtituit, mortuos in vitam reuocat, terram aperit, aquam diuidit, montes hinc illuc transfert, arbores virides areſcere, & aridas vireſcere facit, maris fluctus ſedat, vim ventorum frenat, tempeſtates commutat, labentes fluuios retinet, imbres cogit, nubes diſſipat, tonitrua exprimit, fulmina emittit, ignem deorſum attrahit, Solis curſum reprimit, hoſtes fugat, Dæmones terret, & (quod nulla cogitatione comprehendi poſſe videtur) ipſam Dei potentiam quodam modo conſtringit. Quamobrem perſuaſum omnibus velim rectam, & tutam vitam in oratione, tanquàm in firmiſsimo quodam fundamento, poſitam eſſe; virtuteſq; omnes agere in ea, tanquàm in fertiliſsimo terræ ſolo, radices altiores: ac vacandum ſemper eſſe orationi, quando nos Deo coniungit oratio; vt Deo ſemper adhærentes, ſemper benè, beateq; viuamus. Cæterum

non modò mente, verùm etiam ore Deum oramus.
Pſal.26. Orat corde Dauid, cùm dicit Deo, Exquiſiuit te facies
mea, faciem tuam Domine requiram: & orare nos
Matt. 6. verbis illis Chriſtus docuit, Pater noſter, qui es in cæ-
1.Cor.14 lis; & quæ ſequuntur. B.Paulus quoq; oraturum ſe ſpi-
ritu, hoc eſt, vocis ſono ait, oraturum & mente. Sed
debet os cum mente conuenire, & vocis ſonus affe-
ctum cordis excitare: quia ſi tantùmmodò lingua oret,
1.Cor.14 vt B.Paulus ait, mens ſinè fructu eſt: & in hunc, qui
aliud mente concipit, aliud ore ſonat, rectè dici poteſt
Cap. 29. illud Eſaiæ, Hic populus labijs me honorat, cor autem
eius longè eſt à me. Nec multis verbis agendum eſt
cum Deo, quem non verborum copia delectat, non di-
ctionis ornatus capit, ſed pij animi affectus mouet.
Quapropter Chriſtus ait, Orantes nolite multum lo-
Matt. 6. qui. An non vno tantùm verbo Dauid, Publicanus, &
2.Reg 12 Latro peccatorum à Deo veniam impetrarunt? Non
& Luc. ſpectatur orationis longitudo in multis continuatis
18.& 23 verbis, ſed in ingente pij animi erga Deum affectu.
Quamobrem, quæ verbis fit, oratio, quoniam ad ex-
citandum, accendendum, fouendum animi ardorem
adhibetur, eò vſque producenda eſt, donec feruor ani-
mum deſerat. Sed fortè quis obijciet fruſtrà Deum
verbis orari, qui optimè quid mens noſtra deſiderat
nouit. verùm, etſi Deus, qui ſolus hominum corda
ſcrutatur, deſiderium mentis noſtræ cognoſcit, tamen
multis de cauſis vult nos voce orare; primò ad augen-
dam pietatem, cùm in ipſum omnes animi, & corporis
vires intendimus: deinde ad exercendam magis & ma-
gis humilitatem, cùm & animo, & corpore pariter illi
ſupplicamus: tum ad aliorum doctrinam, & exemplum,
vt totis viribus ad Deum confugere diſcant: poſtremò

vt,

vt, quod lingua peccauimus, luamus & lingua. Oramus adhæc ſinguli per ſe quiſq;, oramus & multi coniunctim: ſed plurium oratio eſt Deo iucundior; quia redolet pietatem maiorem. Hoc eſt, quod Chriſtus ſuis diſcipulis dixit, Vbi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum, ipſos ad orandum inſtruens, & orantes exaudiens. Ac quò plurium oratio ſolemnior eſt, eò etiam Deo eſt ob amplioris religionis ſignificationem gratior. Debent autem orationes Eccleſiæ, quia omnium nomine fiunt, verbis fieri, & alta voce pronunciari, vt ab omnibus audiantur: cæteroquin ſingulorum orationes corde tantùm fieri poſſunt. Præterea fas nobis eſt vbique Deum orare; quoniam vbique eſt, qui nullo loco concluditur: ſed ædes ſacra Deo, quam templum vocamus, maximè eſt ad orandum apta propter loci ſanctitatem, quæ in humanis animis magnam erga Deum venerationem parit. Non enim templum ædificatur ad concludendum Deum, qui immenſus & infinitus eſt, ſed ad res ſacras faciendas: quas decet in ſacrato loco fieri, non in profano. Quibus rebus ſacris ad Deum cognoſcendum quaſi manu ducimur, & ad ipſum colendum incitamur, & ad adorandum accendimur. Quamobrem Deus in templo vult potiſſimè orari ob humanæ mentis ardorem, quem in ſacro loco ſacrarum rerum aſpectus, & notio maximè excitant: oratuſq; magna & ingentia beneficia concedit. Proinde domum ſuam, in qua ſolemnibus cerimonijs, ſanctiſq; muneribus præcipuè colitur, domum orationis eſſe, & vocari præcepit: nihilq; profanum in ea fieri mandauit, ſingulari ſua præſentia ſancto, & auguſto loco. Integrum quoq; nobis eſt quouis tempore Deum orare: ſed maximè

Matt. 18.

D oppor-

opportunum tempus eſt id, cùm res aliqua ſacra ſit, præſertimq; Miſſæ ſacrificium; in quo, videlicet, offertur hoſtia, quæ Deum noſtris ſceleribus violatum placauit, ac ſimul noſtrorum ſcelerum culpas deleuit, cæliq; oſtium tot annorum millibus occluſum aperuit. Quod porrò ſacrificium, dum fit, magnam pietatem, & charitatem in Chriſti cultoribus accendit. Quamobrem diuino ſpiritu afflati ſanctæ Eccleſiæ rectores orationes quaſdam compoſuerunt, quæ in ſacrificio Miſſæ à Sacerdote totius populi in templo congregati nomine, vnde collectæ vocatæ ſunt, ad Deum haberentur: quibus diuina dona, & beneficia cunctis profutura petuntur. E quibus orationibus eas, quæ dominicis diebus habentur, vtpotè communiores, atque præſtantiores explicare propoſui, ac quibuſdam commentarijs illuſtrare: quòd eas, quantum mihi ſcire contigit, à nemine hucuſq; vidi explicatas: & hunc laborem meum, adiuuante Deo, non inutilem fore putaui.

De oratione, quæ in ſacrificio Miſſæ à Sacerdote congregati populi nomine ad Deum habetur, vocaturq; collecta.

SACRIFICIVM Miſſæ Chriſtus ſanctiſſimus, æternuſq; ſacerdos in poſtrema illa cæna, quæ diem mortis eius anteceſſit, ſecundum ordinem Melchiſedech inſtituit, quando nobis Euchariſtiæ ſacramentum, quod omnibus ſacramentis excel-

lit,

lit, tradens, panem in carnem ſuam, & vinum in ſanguinem ſuum conuertit: atque hoc ipſum diſcipulis ſuis præcepit conceptis à ſe verbis facere in memoriam paſsionis ſuæ; qua pro peccatis noſtris in ara crucis Deo patri viuens, & placens hoſtia immolatus eſt. Itaque dum quis ſacrificium hoc facit, paſſionem & mortem Chriſti recolit. Quòd ſacrificium dicitur Miſſæ ſacrificium; quia (ſicut multi volunt) eo perfecto, placens ad Deum hoſtia miſſa eſt. Hoc ſacrificium deinceps Apoſtoli, veluti præceptum ipſis fuerat, facere cœperunt, ſacramenti materiam, & verborum formam, quam Chriſtus præſcripſerat, ſeruantes: adiunxeruntq; orationem illam, quam orare Chriſtus docuerat; cuius initium eſt Pater noſter, qui es in cælis; *Matt. 6.* vt dona, quæ hac oratione petuntur, per hoc ſanctiſſimum, gratiſsimumque Deo ſacrificium impetrentur. Atque Hieroſolymis eximiæ ſanctitatis virum B. Iacobum Alphei, & Antiochiæ B. Petrum Apoſtolorum principem, & Alexandriæ B. Marcum Euangeliſtam primos Miſſæ ſacrificium feciſſe rerum ſcriptores prodiderunt. Tum proceſſu temporum verbis conſecrationis, quæ à Chriſto dictata ſunt, & Dominicæ orationi, quam Apoſtoli adiunxerunt, multa ſunt in ſacrificio Miſſæ à ſummis Pontificibus addita, plena diuinorum myſteriorum. quæ omnia tum Secreta, tum græcè Canon, latinè Regula vocantur: Secreta quidem, vel quòd ea ſolus ſacerdos ſecretò ſecum dicat, vel quòd tanta myſteria nobis occulta ſint: Canon verò, quòd ab omnibus ſacerdotibus hæc regula in ſacrificando ſit omnino tenenda. Addiderunt quoq; ſummi Pontifices diuerſis temporibus alij Euangelium, alij Epiſtolam, alij orationem, quam vocant collectam: quam ante

Epiſtolam totius populi nomine Sacerdos alta voce pronunciat. Collectas ipſi ſummi Pontifices compoſuerunt, vel ab alijs ſanctis, doctis, & eloquentibus viris compoſitas acceperunt. E quibus (nam innumeræ ferè prodierant) Gelaſius Papa fertur meliores elegiſſe, ac certis quaſque diebus dicendas digeſſiſſe. In quibus deinde Gregorius Papa, cognomento Magnus quædam immutaſſe, quædam ademiſſe, quædam addidiſſe perhibetur. Nominantur autem collectæ, vel quòd nomine in vnum congregati populi, ſeu pro collectis congregatiſq; in templo fidelibus à Sacerdote habentur; vel quòd Sacerdos omnium preces in vnum collectas in cælum deferat, & ante conſpectum Dei ponat. Debent verò, quia nomine totius populi à Sacerdote habentur, vt ab omnibus audiantur (ſicut ſuprà diximus) alta voce pronunciari: alioquin preces, quas pro ſe, ſuoq; nomine fundit, Sacerdos ſubmiſſa voce dicit. Ideoq; populus aſſentiens orationi Sacerdotis, reſpondet Amen. quod verbum Hebraicum eſt optantis, & latinè ſonat Fiat; quaſi reſpondens dicat Fiat, quod oraſti: etſi etiam interdum eſt affirmantis; idemq; ſignificat, quod verè. At quoniam populus cum Sacerdote ſimul orare debet, Sacerdos priuſquàm efferre incipiat orationem, populum ad orandum inuitat, dicens Oremus: ac ſimul in cælum manus attollit, vt hoc geſtu corporis doceat mentem erigendam eſſe in cælum. Sed & antequàm dicat Oremus, precatur populo Dei præſentiam, dicens Dominus vobiſcum; vt præſens, & bonus Deus communem orationem exaudiat. Solus autem Sacerdos effatur; quia ipſe eſt inter Deum & homines medius: ipſe populi preces & vota diuinæ maieſtati cum ſacrificijs offert: ipſe Dei beneuolen-

tiam

tiam & charitatem per Ieſu Chriſti Domini noſtri me-
rita mortalibus conciliat. Sed artificium, quo compo-
ſitæ ſunt, parumper inſpiciamus. Non enim ſeruantur
in his Rhetorum præcepta, nimirùm vt oſtendamus
fieri poſſe, & æquum eſſe, quod petimus; vt modum,
quo aptè & commodè fieri poſsit, demonſtremus; vt
poſtremò compenſaturos nos beneficium polliceamur.
Nos enim ſcimus, atque fatemur nullum verbum eſſe *Luc.1.*
impoſsibile apud Deum; atque omnem iniquitatem,
& ignorantiam à diuino numine abeſſe; nec bonorum
noſtrorum egere eum, qui omnia poſsidet. Sed primò
Deum, ac Dominum compellamus: quem deinde vel
ab omnipotentia, vel à miſericordia, vel ab aliqua di-
uina virtute pro re, quam petere conſtituimus, com-
mendamus; non vt ipſum ad nos audiendum commo-
ueamus, flectamuſq; beneuolentiam eius, mentemq;
mutemus, qui ſemper idem, & ſui ſimilis eſt, ſed vt
fiduciam in noſtris animis excitemus petendi ab eo do-
na, & beneficia, cuius immenſam virtutem, & ſingula-
rem erga nos charitatem, & miſericordiam prædica-
mus. Tum breuiter, quod optamus, petimus. Non
enim copia verborum delectatur Deus, qui ſolùm men-
tis affectum attendit. Neq; eſt ylla inſinuatione opus;
quia nullo modo verendum eſt, ne vllius perſonam re-
ſpiciat, & à nobis alienetur: nec quiſquàm credat ſe
vel occultare, vel diſsimulare quicquàm illi poſſe, qui
clarè omnia cernit. Oramus autem quandoq; Deum
patrem, quandoq; Deum filium, quandoque Trinita-
tem, ipſas, inquàm, tres diuinas perſonas. Nullam ora-
tionem video nominatim ad Spiritum ſanctum haberi;
fortè quia (vt quidam volunt) Spiritus ſanctus eſt Pa-
tris, & Filij donum; Pater verò, & Filius ſunt donato-
res.

res. ideò non donum, ſed ipſos donatores oramus. Frequentiſsimè tamen oramus Patrem, vtpote omnium principium, quippe à quo eſt omnis paternitas, quæ in cælis, & quæ in terris eſt. Oramus & ipſum Filium redemptorem noſtrum; qui nos à Diaboli ſeruitute liberauit, & peccatorum vinculis ſoluit. Neque ob hæc tamen magis ab vna, quàm ab alia perſona res bonas ſperamus. Cùm enim diuinarum perſonarum ſit vna, & eadem eſſentia, ſiue natura, ob idque vna, eademque voluntas, atq; potentia, ſiue Patrem, ſiue Filium, ſiue Spiritum ſanctum nominatim oremus, ſimul tamen ab omnibus bona recipimus: à quibus vno Deo, & vno Domino gubernamur & regimur. Cæterùm quicquid à Deo petimus, per Ieſum Chriſtum Dei, & hominum mediatorem petimus. Quare qui volunt obſecrare eſſe per rem aliquam ſacram orare, omnes orationes Eccleſiæ obſecrationes eſſe confirmant. Vnde concluditur oratio, cùm ad Patrem habetur, ſi nulla Filij mentio in ea fiat, his verbis, Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum; qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus per omnia ſecula ſeculorum. Verùm, ſi Filij mentio fiat, concluditur vel Per eundem Dominum noſtrum; vel Qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus. Si in oratione ſit mentio Spiritus ſancti, in concluſione additur eiuſdem, hoc modo, in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti. Si oratur Pater, vt det nobis Spiritum ſanctum, concluditur oratio ſic, Per Dominum, vel Per eundem Dominum, vel eiuſdem. ſic illa oratio concluditur, quæ in benedictione Cinerum dicitur, Deus, qui in humiliatione: ſic etiam concluditur illa, quæ in Fontis benedictione dicitur, Omnipotens ſempiter-

Ephes. 3.

piter-

piterne Deus. Cùm ad Filium habetur oratio, concluditur ſic, Qui viuis, & regnas cum Deo patre in vnitate Spiritus ſancti Deus. At ſi in hac oratione, quæ habetur ad Filium, ſit mentio Patris, concluditur ſic, Qui cum Deo patre in vnitate Spiritus ſancti viuis, & regnas Deus. Si haberetur oratio ad Spiritum ſanctum, tunc ſic concluderetur, Qui cum Patre & Filio viuis, & regnas Deus. Cùm ad Trinitatem habetur oratio, concluditur ſic, Per Dominum, vel Per eundem Dominum, & eiuſdem: ſed breuitatis cauſa concluditur, Per Chriſtum dominum noſtrum. Poteſt etiam concludi ſic, Qui viuis, & regnas Deus per omnia ſecula ſeculorum. Iam aduerte quid Eccleſia precetur à Deo. Precatur ſanè bona, quæ ſimpliciter & abſolutè bona ſunt; quibuſq; malè vti non poſſumus; videlicet animæ ſalutem, & quæ ad hanc ſalutem vel habendam, vel conſeruandam faciunt. Quæ quidem animæ ſalus à Dei gratia eſt. Ad quam recipiendam requiruntur & Dei quidam motus nos ad ſe ipſum conuertentis, & noſtri animi ad Deum conuerſio: ad conſeruandam verò opus eſt tum cæleſti afflatu, quo res bonas ſemper cogitemus, atq; ſectemur, tum diuino auxilio, quo defendamur à varijs tentationibus, & peccatorum periculis, atq; omnibus hoſtibus, & rebus aduerſis. Quamobrem Eccleſia nunc diuinum motum, nunc noſtrorum animorum conuerſionem, nunc contra malas tentationes cuſtodiam, nunc contra hoſtiles incurſiones præſidium, nunc à periculis peccatorum liberationem, nunc perſeuerantiam precatur. Precatur etiam ea, quæ ſæpè ſunt ad animæ ſalutem vtilia, vt pacem, & corporis ſanitatem, & ad degendam mortalem hanc vitam res neceſſarias. Ac ſæpè rem eandem, ſed alijs, atq; alijs verbis;

ac pro diuerſis temporibus alia, & alia ratione; atque nunc hoc, nunc illud auxilium; & ſingulis orationibus ſingula beneficia ſuppliciter, & breuiter poſtulat. Itaq; ſunt orationes hæ breues, caſtæ, ſapientiſſimis ſententijs graues, electis verbis ornatæ, nec non etiam aptis numeris concluſæ; vt, meo quidem iudicio, nihil his orationibus ſanctius, nihil doctius, nihil grauius, nihil ornatius, nihil etiam poſtremò ſit numeroſius: vt nec philoſophorum exquiſitis ſententijs grauitate, neque oratorum expolitæ dictioni eloquentia cedant.

Quòd orationes ſuas, ſeu collectas Eccleſia diuinorum officiorum temporibus accommodarit.

HAS vtiq; orationes, ſiue collectas Eccleſia varias pro temporum varietate, quâ diuina officia diſtinxit, compoſuit; ac ſuas cuique tempori ſapienter aptauit. Sunt enim diuina officia varijs diſtincta temporibus; quibus militantis Eccleſiæ varius ſtatus, tanquàm annus, quem Solis per ſigniferum orbem conuerſio facit, interpungitur: tempora verò, quæ varium ſtatum hominis referunt, quatuor ab Eccleſia deſignata ſunt. primum eſt ab Aduentu Domini vſq; ad Septuageſimam; alterum eſt à Septuageſima vſq; ad Paſcha; tertium à Paſcha vſque ad Pentecoſtem; quartum à Pentecoſte vſq; ad Aduentum. Sic in ſe ipſa diuina officia, tanquàm anni tempora, conuertuntur. Tempus, quod eſt ab Aduentu Domini vſq; ad Septuageſimam, dicitur renouationis; quia per Aduentum

tum

tum Domini, ſiue per eius incarnationem humanum genus inſtauratum eſt; daturq; nobis gratia, quæ noſtros animos renouat, ſanando cæcitatem mentis, & abluendo ſordes voluntatis, nitoremque priſtinum reſtituendo. Quidam hoc tempus in duas partes ſecant: quarum priorem à prima Dominica Aduentus vſque ad Epiphaniam protendunt, vocantq; Renouationis; poſteriorem ab Ephiphania vſque ad Septuageſimam prorogant, vocantq; Reuocationis; quia lumen gratiæ, quod nouæ ſtellæ apparitio deſignat, nos in cæleſtem patriam Bethlehem reuocat. Tempus, quod eſt à Septuageſima vſq; ad Paſcha, dicitur Declinationis à via, ſeu Deuiationis; quia primi parentes, eò quòd diuino mandato non paruerunt, à via recta cum ſuis poſteris declinarunt; factiq; ſunt ſerui Diaboli. Vnde hoc declinationis tempus etiam dicitur tempus culpæ, & propter culpam reatus, tempus cæcitatis, ignorantiæ, ac deſperationis. Tempus à Paſcha vſque ad Pentecoſtem dicitur Reconciliationis; quia per Chriſti mortem, & reſurrectionem iuſtificati, & reconciliati cum Deo ſumus, ideoq; & libertatis, & lætitiæ tempus etiam dicitur. Tempus à Pentecoſte vſq; ad Aduentum dicitur Regreſſionis; quia liberatis nobis è ſeruitute Diaboli regrediendum in patriam eſt. Et quia multa nobis mala in itinere perferenda ſunt, vincenda impedimenta, ſuperandæ difficultates, debellandi hoſtes, atq; ingentes ſemper ſuſtinendi labores, dicitur etiam tempus luctæ, laborum, atq; vigiliarum. Pro horum temporum varietate, ac ratione has orationes Eccleſia compoſuit. Nam Renouationis, Reuocationiſq; tempore diuinam gratiam, & cordium ad recipiendam ipſam diuinam gratiam præparationem, ip-

ſuiſq; gratiæ effectus, nitorem, inquàm, & integritatem animæ; tum bonas actiones, & ab aduerſis rebus tuitionem, mentiſq;, ſimul & corporis ſalutem expoſcit. At tempore Declinationis veniam peccatorum, patrocinium reorum, miſericordiam proſtratorum, ſanitatem ægrorum, conſolationem afflictorum, & humilitatis, ac patientiæ Chriſti imitationem precatur. Sed Reconciliationis tempore Dei beneuolentiam, animi lætitiam, rerum malarum odium, bonarum amorem, diuinarum promiſsionum deſiderium, æternis rebus mentem addictam, bonas cogitationes, rectas actiones, diuino cultui voluntatem mancipatam, & ſynceram ſeruitutem orat. Regreſſionis verò tempore ſanctum & docentem, & conſolantem nos Spiritum, amorem Dei, timorem Domini, pacem omnem, rectum iter ad cælum, tranquillum ſinè vlla offenſione ad cæleſtes promiſsiones curſum, religionis cultum, incommodorum euitationem, commodorum adeptionem, diuinorum præceptorum ſtudium, peccatorum leuationem, virtutum accretionem, vitiorum liberationem, præuenientem, & ſubſequentem nos gratiam, animi integritatem, puritatem, ſecuritatem, atque quietem, gratam Deo voluntatem, laudabiles actiones, hoſtium debilitationem, malorum depulſionem, bonorum impetrationem, culparum abſolutionem, & ad bonarum actionum, & gratiæ incrementum continuatum auxilium poſtulat. In vniuerſum poſtulat remoueri, quæ iter ad patriam impediunt, & concedi, quæ adiuuant. Nec mirum, ſi diuerſis temporibus ſæpius rem eandem oret à Deo; quia de eadem re ad ſalutem neceſſaria diuerſis temporibus pro diuerſa ratione ſæpius orandus eſt Deus, vt nobis ipſam vel det, vel da-

tam

tam augeat, auctamue conſeruet. Nemo igitur licere ſibi exiſtimet has orationes Eccleſiæ modo vllo immutare. Ordinat autem Eccleſia diuina officia non à Septuageſima, licet hominis à via declinatio eius renouationem tempore antecedat, ſed ab Aduentu Domini: vt renouationis beneficium primò nobis ante oculos ponat; quo nos ad amplexandam eius beneficentiam in primis commoueat: tum hominis à via declinationem, redemptionem, regreſſionemq; proponit. Itaque orationes, quæ Dominicis Aduentus habentur, primas omnium exponemus. Sed priùs de Domini Aduentu, prout res poſtulare videtur, paucis diſſerendum arbitror.

DOMINICA PRIMA ADVENTVS.

De Domini noſtri Aduentu.

MAGNAM quidem potentiam Deus præ ſe tulit, cùm de nihilo mundum effecit, opus magnitudine admirabile, atque omnium rerum varietate diſtinctum: ſed maiorem vim adhibuit ad ſaluandum hominem, qui inobedientiæ, ac ſuperbiæ ſuæ culpa perierat. Non enim quemadmodum dixit, & facta ſunt omnia, ſic dixit, & ſaluus factus eſt homo: verùm ipſemet Deus de cælo deſcendens in terras, naturam humanam aſſumpſit, vt hominem è mortis, in quam peccando incurrerat, manibus eriperet; atque è Diaboli, à quo turpiter victus fuerat, ſeruitute liberaret. Neque

equidem inficior Deo, penes quem eſt omnium rerum poteſtas, fas fuiſſe peccati culpam, & pœnam omnem homini remittere: attamen hoc clementiæ ſolùm, non etiam iuſtitiæ opus fuiſſet. Atqui Deus non ſolùm mi-
Pſ. 7. ſericors Dominus, verùm etiam iuſtus Iudex eſt. Ideoq;
Pſ. 24. quì dulcis, & rectus eſt, ſemper cum clementia iuſtitiam, & cum iuſtitia clementiam coniungit. Quo autem modo cum clementia iuſtitiam ad ſaluandum hominem coniunxerit, aduerte. Cùm mortalis homo immortali Deo ſatisfacere non poſſet pro patrato contra diuinum iuſſum facinore, ſiquidem plurimùm diſtat à diuina maieſtate humana conditio, damnatus de inobedientia nata ex mala vetiti cibi, inanis gloriæ, vanæ ſcientiæ cupiditate pœna eſt mulctatus æterna. Sed Deus hominem perire non ſinens, quem ſummopere diligebat, vtpote ſui ſimilem, cuiuſq; gratia cuncta creauerat, non illi quidem peccati veniam condonauit, ſed filium ſuum in terras miſit, vt homo fieret, & pœnam, quam homo debebat, ipſe homo lueret: idemq; ipſe Deus Deo patri plenè cumulateq; ſatisfaceret; cui natura ſimilis, maieſtate æqualis, æternitate par eſſet.
Pſ. 84. Sic miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi; ſic iuſtitia & pax oſculatæ ſe ſunt. Sua quoq; charitate, qua pro nobis animam ſuam poſuit, magnum in nobis excitauit amorem ſui, qui quidem amor nos cum Deo coniungit, ac verè beatos facit. Quamobrem à dilectione Dei conſortes diuinæ naturæ effecti, & cæleſtium bonorum hæredes inſtituti, iure filij Dei nominamur, & ſumus. Sed & Diabolus, quòd nefarios homines in Chriſti ſanctiſsimi, & innocentiſsimi hominis necem immiſit, iuſtè amiſit dominatum in hominem, quem fraude deceperat. Vides opus redemptionis no-

ſtræ

ſtræ maius, atque admirabilius eſſe opere creationis! Hunc Dei filij è cælo in terras deſcenſum rectè ſacrarum rerum doctores vocant aduentum: in quo, ſicut in omni motu, terminos duos obſeruamus, alterum, à quò proceſſit, alterum, ad quem acceſſit. Principium, à quo profectus eſt, eſt Deus pater; finis, ad quem peruenit, eſt humana natura, quam aſſumpſit. Hoc ipſum inquit ipſe Dei filius, Exiui a Patre, & veni in mundum. Nec ſanè venit à ſe, qui ab alio exiuit. Idcircò inquit idem ipſe Deus filius, A me ipſo non veni. Nec tamen ita exiuit à Patre, vt Patrem reliquerit. Non enim vt in rerum naturalium mutationibus, motibuſq; terminus, vnde initium eſt mutationis, motuſue, deſeritur, ſic Deus pater à Deo filio, quando in mundum venit, relictus eſt. nam Filius ſemper eſt in ſinu Patris. ſed ſpecie quadam viſus eſt Patrem reliquiſſe, cùm in terris humana forma mortalibus aſpectabilis apparuit: qui cæteroquin nullius hominis aſpectu percipitur. Hunc aduentum præterea vocarunt ijdem rerum ſacrarum doctores miſſionem: in qua & is, à quo miſſus eſt, & id, ad quod miſſus eſt, denotatur. Is, qui miſit, Pater eſt: nec tamen in Patre, qui miſit, deſignamus imperium, quaſi ſuperior, ac potentior ſit eo, quem miſit, ſed tantummodò notamus originem: quòd dumtaxat principium ſit eius, quem miſit. Id, ad quod miſſus eſt, natura humana fuit: in qua noua forma ſe nobis cognoſcendum oſtendit. Vnde cùm aliqua diuina perſona, quæ manat ab alia, nouo aliquo & inuſitato modo ſe nobis innuit, tunc ad nos dicitur mitti. Quarè non ſolùm Filius, qui à Patre emanat, cùm factus eſt homo, ſed etiam Spiritus ſanctus, qui à Patre & Filio procedit, cùm ſe in columbæ ſpecie indicauit, rectè miſſus

Io. 16. *Io. 8.* *Io. 1.*

miſſus eſſe dicitur. Pater autem licet noua aliqua ratione nobis ſui aliquam ſignificationem daret, nunquàm tamen miſſus diceretur; quoniam à nullo eſt. Atque hanc Dei filij miſſionem vocarunt quoq; iidem ſancti, & docti viri incarnationem, grecè σάρκωσιν; quia Deus factus eſt homo. quam vocem quidam Grammatici tanquàm barbaram irrident, ipſi magis irridendi, qui neque rem, neque vocem intelligunt.
Cap. 1. Etenim ſi B. Ioannes Euangeliſta inquit Verbum carnem factum eſſe, non quia mutatum eſt in carnem, ſed quia carnem aſſumpſit, cur carnis ſuſceptionem non vocabimus incarnationem? Porrò ſi nouis rebus noua nomina imponenda ſunt, hoc nouum pietatis myſterium nouo nomine ſignandum fuit. Eſt autem humanæ naturæ aſſumptio vocata incarnatio à carne, è qua corpus hominis maxima ex parte compactum eſt. Atq; in ſacris ſcripturis quandoq; caro, quandoq; anima pro homine, qui ex anima, & corpore conſtat, ponitur per ſynecdochen figuram, quæ partem pro toto vſurpat. Dicta verò eſt humanitatis, ſiuè humanæ naturæ ſuſceptio incarnatio à carne parte ſenſibus apertiore, vt certior haberetur; & ignobiliore, vt exemplo Dei filij amplecteremur humilitatem inimicam Diabolo; & parte, quæ hominem ad peccandum flexit, vt vitiatam prioris Adam carnem poſterioris Adam ſancta & incorrupta carne ſanatam crederemus. Incarnationem quoq; Græci vocant œconomiam, latinè diceres domus, aut familiæ diſpenſationem, & gubernationem. quia per incarnationem Filij Deus Pater familiam ſuam inſtituit; diſtribuenſq; gratiam, virtutes, & dona, ipſam regit, atque tuetur. Neq; abs re myſterium
1. Tim. 3 incarnationis B. Paulus vocat ſacramentum pietatis.
ſiqui-

ſiquidem eſt ſacrum ſecretum redemptionis humanæ; quæ ſingulari quadam pietate & miſericordia Dei facta eſt. Quod ſanè myſterium non ab hominibus ſe didiciſſe, ſed ſecundum diuinam reuelationem notum ſibi factum eſſe ad Epheſios ſcribit: quanquàm vt opus præclariſsimum, ac maximè admirandum ab ipſa mundi origine varijs adumbratum figuris, & multis prophetarum oraculis antè prædictum eſt. Et quanquàm ſolus Filius carnem aſſumpſit, tamen incarnationis effectrix tota Trinitas fuit: quippe opera, quæ extra diuinas perſonas, diuinamq; naturam extant, æque à tribus perſonis fiunt: quarum vt vna, & eadem eſſentia, ſic vna, & eadem voluntas eſt, atq; effectio. Simile hoc eſt, ac ſi quis veſtem aliquam ſibi induat à duobus adiutus, tres quidem dices ad induendam veſtem conueniſſe, ſed vnum ſolum indutum. Neque eſt, quod Philoſophi contra nos pugnent ſuis argumentis; quæ vana ſunt. Primum eſt illud, Deus in nullam compoſitionem venit; quia ſummè ſimplex eſt; quippe omnium principium. non igitur incarnatus eſt: quoniam ſic veniſſet in compoſitionem. Ad quod reſpondemus, non eſſe è diuina, & humana, tanquàm è duabus inter ſe permiſtis eſſentijs tertiam quandam conflatam naturam, ſed vtranq; integram permanſiſſe ſimul in vnica perſona, ſiue hypoſtaſi: quarum neutra dici poteſt aut alterius, aut totius cuiuſdam compoſiti pars. Alterum eſt, ſi Deus incarnatus eſt, aliqua additio facta eſt diuinitati, quare Deus non eſt (vt ipſorum verbis vtar) actus purus, ſummeq; perfectus, cui nihil addi poteſt. Sed nihil vtique efficiunt. Non enim in incarnatione diuinitati quicquàm admiſtum, additumue eſt; veluti ſuſtantiæ vel qualitas, vel quantitas,

Cap. 2.

titas, vel aliquod aliud ſimile accedit: ſed tantumodò perſona, quæ ſoli diuinitati ſubſtabat, ſubſtitit etiam humanitati ſinè vlla immutatione ſui. Tertium eſt, Deus eſt immutabilis, quia eſt ſimplex. atqui, ſi incarnatus eſt, mutatus equidem eſt; quia eſt quòd non erat. Ad hoc dico mutatam quidem fuiſſe humanam naturam, quæ cùm antè nulla eſſet, poſteà fuit, ac nouo quodam & inuſitato modò, non in humana, ſed in diuina conſiſtens perſona: Deum verò ſemper fuiſſe, & eſſe eundem, tantumodò nouam quandam appellationem à re noua ſinè vlla naturæ ſuæ mutatione habuiſſe; perinde vt Deus non ante creationem mundi creator appellatus eſt, ſed à creatione mundi. quæ appellatio non Dei, ſed rerum creatarum mutationem indicat; quoniam cùm antè nullæ eſſent, poſteà extiterunt, creatæ à Deo, ipſo Deo permanente ſemper eodem. Quartum eſt, Deus eſt impatibilis, quia eſt immutabilis: atqui coniungi cum humana diuinam naturam eſt pati. Soluiturq; hac reſponſione, quòd in hac coniunctione ſolùm natura humana perpeſſa eſt re ipſa mutationem: diuina verò natura ſolùm quendam reſpectum habet ad humanam, cùm qua in vnica perſona coniuncta eſt ſinè vlla ſui mutatione: perindè vt res, quæ intellectu percipitur, non ipſa quicquàm patitur, cùm intelligitur, ſed intellectus pati dicitur, cùm ipſius notionem capit; ipſa verò res tantumodò reſpectum quendam habet ad intellectum, à quò percipitur. ob quem reſpectum à Philoſophis dicitur intelligibilis; quoniam ſub intelligentiam cadit. Quòd ſi quandoq; in ſacris libris Deum paſſum, & mortuum legimus, de diuina perſona hæc dicta intelligamus ratione naturæ humanæ, cui ſubſtat; quæ labores & dolores naturales

perpeſſa eſt. Poſtremum argumentum eſt (vt alia prætermittam minoris ponderis, & momenti) Deus non poteſt vllis terminis concludi, cuius eſt infinita natura. terminaretur autem certis finibus, ſi factus eſſet homo; quia concluderetur corpore; quod etiam ipſum, vt reliqua corpora naturalia, certo aliquo circumſcriberetur loco. quarè non eſſet vbique. quod nefas eſt dicere. Ad quod reſpondemus cum humano corpore ſic coniunctam eſſe diuinitatem, vt ſit etiam extra corpus vbique: ipſum autem corpus certo in loco eſt. Confitemur tamen nulla nos ratione poſſe modum, quò diuinitas cum humanitate coniuncta eſt, percipere. Nec quia percipi non poteſt hominis intellectu, idcircò credenda non eſt Dei incarnatio. Nam eius eſt fides: quæ ideò fides eſt, quia omnem humanam rationem ſuperat. Proinde etſi argumenta Philoſophorum diſſoluimus, quibus negant Deum hominem factum eſſe, tamen nullis phyſicis rationibus probare poſſumus, quòd Deus factus ſit homo. Neque enim humanis inuentis, ſed diuinis enunciatis hoc animo comprehenſum habemus. At quæret forte aliquis, cur aduentum ſuum Dei filius in extrema mundi tempora diſtulerit? vt nimirum homines priùs experirentur nec ratione menti inſita, nec lege in tabulis ſcripta poſſe ſaluari; ſed opus eſſe diuina gratia, quæ nobis à Deo per Ieſum Chriſtum datur. Iurè igitur omnes viri pij, qui ante Chriſtum *Io. 1.* fuerunt, ſemper Deum orarunt, vt mitteret, quem ad ſaluandum genus humanum ſe miſſurum promiſerat: & ad Dei filium, qui mittendus erat, clamarunt, Vtinam diſ- *Eſa. 64.* rumperes cælos, & deſcenderes. Sed qui miſſus eſt ad ſaluandum mundum, idem ipſe aliquando mittetur ad iudicandum. Miſſus quidem eſt ad ſaluandum pauper,

 & hu-

& humilis, vt paupertatem, & humilitatem doceret, quibus cæleſtis vita paratur; at ad iudicandum mittetur ſummo cum imperio & poteſtate, impijs ſupplicia, pijs præmia diſtributurus. Et quanquàm in priore miſſione paucis manifeſtus fuit, tamen in poſteriore omnibus notus erit, malis quidem formidabilis, bonis verò cunctis amabilis. Proinde duos Chriſti aduentus ad omnes homines faciunt, alterum ad ſaluandum, alterum ad iudicandum mundum, & vtrunq; in carne aſpectabilem; ſed priorem humilem & obſcurum, poſteriorem clarum, atq; potentem. Faciunt præterea duos alios Chriſti aduentus non quidem in carne aſpectabiles, ſed in ſpiritu non aſpectabiles, neq; ad omnes ſimul, ſed ad quenq; ſingillatim, & ſaluandum, & iudicandum. Tunc ad ſaluandum quempiam venit, cùm in alicuius
Io. 14. cor cum Patre & Spiritu ſancto illabitur, facturus apud illum manſionem. Quæ ſanè manſio fit, cùm incipit habitare in eo, à quo incipit diligi. Hunc aduentum nominant aduentum gratiæ, quia nos gratia donat, qua veritatem ipſam cognoſcimus, & amplectimur. Nec ſemel tantùm is fit, ſed totiens, quotiens manſionem in homine facere incipit. Tunc verò ad iudicandum quempiam venit, cùm venit ad repoſcendam ab aliquo, quando è vita diſcedit, actæ vitæ rationem. Atq; hic aduentus non ſolùm non aſpectabilis, verùm
Mat. 25. etiam incertus eſt. Quocircà vigilare nos monet Dominus, vt ne, cùm venerit ad repoſcendam vitæ rationem, imparatos nos, vt fatuas, ſed paratos, vt prudentes virgines inueniat. Sunt igitur Domini quatuor aduentus. Primus eſt, cùm ad ſaluandum mundum in terras venit; quando humanam carnem aſſumpſit, & cum hominibus vixit. Cum hoc aduentu illum gratiæ coniun-

coniungunt; quoniam vterq; ad noſtram ſalutem ſpectat. Tertius eſt, cùm ad iudicandum omnes ſimul homines veniet. Ad quem referunt illum, quo ad iudicandos ſingulos venit; quoniam in vtroq; iudicium exercetur. Cæterùm Eccleſia licet primum illum aſpectabilem Dei aduentum, quo ad ſaluandum mundum venit, his diebus, qui natalem ipſius diem antecedunt, potiſſimè celebret, à quo non ſeiungimus eius in noſtros animos aduentum, quoniam vterq; eſt à charitate, & eſt cauſa noſtræ ſalutis, tamen, vt non ſolùm amore, ſed etiam timore, quaſi quibuſdam habenis, animos noſtros moderetur & regat, etiam poſteriorem illum aduentum prædicat, quo ad iudicandum vniuerſum mundum ſummo cum imperio veniet. Quocum iungimus illum, quando ad iudicandum quenq; in die mortis venit. Quorum aduentuum memoria terrentur mali, benè animantur iuſti. Ob hos quatuor aduentus Domini B. Petrus (vt nobis harum rerum ſcriptores tradiderunt) quatuor hebdomadas ante natalem eius diem celebrari inſtituit. Atque totum hoc tempus (vt ſuprà diximus) nominatur renouationis; quoniam Eccleſia nobis vijs omnibus ſtudet diuinam gratiam conciliare, per quam noſter animus amiſſam integritatem recuperat, mentis, inquàm, illuminationem, & rectam voluntatis affectionem. Sic enim veterem habitum, quo nos peccatum contexerat, exuentes, & nouum gratiæ induentes, nouam vitam inimus. Itaque ſuis orationibus Eccleſia diuinam gratiam à Deo poſtulat, quæ nos à peccatorum periculis liberet, animum purificet, mentis tenebras expellat, ſalutis impedimenta remoueat; vt, quem Redemptorem noſtrum in terris læti agnouimus, ſecuri

quoque iudicem videamus. Sed ipſam primam orationem interpretemur.

ORATIO.

Excita, quæſumus, Domine potentiam tuam, & veni; vt ab imminentibus peccatorum noſtrorum periculis te mereamur protegente eripi, te liberante ſaluari: Qui viuis, & regnas cum Deo patre in vnitate Spiritus ſancti Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Oramus Deum filium, vt ad nos ſua cum potentia veniat, dignoſq; præſens efficiat, quos è peccatorum inſtantibus periculis eripiat, & ſaluet.

Deum filium oramus, non quòd à ſolo Filio ſaluemur; nam etiam à Patre, & Spiritu ſancto ſaluamur; ſed quia nobis per Filij humanitatem à tota Trinitate ſalus, & æterna vita donatur. Idcircò ad nos liberandos à peccatis, peccatorumq; periculis, & ſaluandos, præcipuè rogamus eum, qui è cælo in terras ad ſaluandum hominem deſcendit. Neq; ſolùm hæc prima oratio, verùm etiam tertia, & quarta ad Filium habentur: quibus diuinam gratiam imploramus; quam nobis per ipſum

ipſum factum hominem tota Trinitas impertitur. à qua porrò gratia eſt noſtri animi renouatio, ſeu noua vita, vel nouitas vitæ. cui nouitati hoc tempore Aduentus (vt ſuprà diximus) potiſsimè ſtudemus. Secunda verò oratione Deum patrem oramus, vt nos moueat ad præparanda corda noſtra filio ſuo: vt eius aduentu purificatis mentibus ipſi dignè ſeruiamus. Et quidem neceſſe eſt præparari corda ad recipiendam diuinam gratiam: nec præparare corda noſtra nos per nos ipſi poſſumus, ni priùs à Deo commoueamur, & præparemur. Sed quò meliùs hæc omnia percipiantur, liceat mihi parumper digredi ad explicandam breuiter gratiam, quam his orationibus à Deo poſtulamus; de qua copiosè alibi dicemus: atq; etiam ad oſtendendum quibus diuinis auxilijs ad obtinendam, & conſeruandam hanc gratiam egeamus. Gratia, qua de loquimur, eſt diuina quædam qualitas, quæ hominis animam peccatorum vinculis aſtrictam ſoluit, vulneribus affectam ſanat, ſordibus inquinatam abluit, humi iacentem erigit, ac mentem illuminans, & voluntatis motus rectè, ſanctéq; componens ad conſequendam æternam beatitudinem, quam ex ſe cognoſcere, & aſſequi non poteſt, informat. Nominatur autem hæc diuina qualitas gratia, quia nobis nullis noſtris meritis, ſola Dei benefica voluntate donatur: &, quia tanquàm habitus quidam animum ornat, à Theologis appellatur habitualis: &, quia Deo charum & acceptum hominem reddit, gratum faciens nuncupatur. nam gratus interdum pro charo & accepto ponitur. Verumtamen vt naturalis forma non niſi in præparatam, prout ipſius formæ ratio poſtulat, materiam inducitur, ſic diuina hæc gratia non niſi præparatæ, pro ut ipſius gratiæ ratio exigit,

Dom. 16. poſt Pét.

animæ

animæ infunditur. Præparatur autem anima primùm à Deo; tum ab ipſo homine: à Deo quidem, cùm voluntatem hominis mouet ad conuertendum ſe à creato ad increatum bonum; ab homine verò, cùm diuino commotus inſtinctu ſe ad Deum conuertit. Vbi verò ſe ad Deum homo conuertit, & cor ſuum Domino præparauit, tunc animæ à Deo gratia, quam vocauimus habitualem, inijcitur. Ac primum illud diuinum auxilium, quo Deus voluntatem hominis præparat, quia nobis gratuitò datur, nominatur etiam gratia; ſed non habitualis, quæ hominem ſanat, & ornat. Atque hæc habitualis gratia noſtro vitio deperdi poteſt; quia nos deſerit, cùm peccamus; quippe quæ à peccato maximè abhorret. Quarè danda eſt opera, ne à diuina gratia deſeramur. Hinc nimirum eſt, quòd habitualem gratiam habentes adhuc diuino auxilio indigent, quo ab aduerſis rebus defendantur atque tegantur. Quamuis enim habitualis gratia vulnera, quæ peccatum inflixit, ſanet, non tamen omnino extinguit appetitum voluptatum ſenſuum: qui, quoniam deliniendo, & fouendo nos ad peccandum inducit, à Theologis fomes peccati nuncupatur, ſeu fomentum, ac ſeminarium peccatorum. Cùm igitur mala ſenſus, carniſue cupiditas & à mundo prauis opinionibus, & à Diabolo multis machinis adiuta, ſemper contra noſtram ſalutem pugnet, nec victores exiſtere ſinè diuina ope poſſumus, quæ nos in hac dimicatione defendat, ſemper diuinum auxilium implorare debemus, Deumq́; *Mat. 6.* orare, ne nos in tentationem inducat, ſed à malo liberet. Hoc diuino auxilio, diuinaque propugnatione & defenſione dignus habetur, qui diuina gratia ornatus & inſtructus eſt; ſicut ab imperatore defendi meretur,

tur, qui geſtat eius inſigne imperij. Hæc de gratia, diuiniſq; auxilijs, ſinè quibus ſaluari non poſſumus, breuiter dicta ſint: è quibus harum orationum ſententiæ meliùs percipientur. *Domine*] cui nomen eſt Deus propter præſtantiſſimam naturam, eidem eſt nomen Dominus propter imperium. nam cuius virtute creata ſunt, eiuſdem quoq; dominatu cuncta reguntur. Vnde in Eſaia Deus inquit, Ego Dominus. hoc eſt nomen meum. & propheta Amos de Deo loquens, Dominus eſt, inquit, nomen eius. Hoc ipſum quoque Dauid inquit, Dominus eſt nomen illi: quippe cui ſeruiunt omnia. Nec verò Deus ſemper appellatus eſt Dominus, ſed à quo tempore mundum creauit. ſiquidem hoc nomen Dominus reſpectum quendam habet ad ea, quæ poſſidentur. Neq; ob id tamen Deo res vlla, quam ante non haberet, aduenit, alioquin mutationem aliquam pertuliſſet; ſed ſola appellatio acceſſit, qua nos eum Dominum vocamus, cùm res ſubiectas ipſi reſpicimus. Quando igitur Deus ſuo dominatu tenet vniuerſa, cùm ſimpliciter & abſolutè Dominum dicimus, Deum intelligimus, in cuius ditione cuncta ſunt poſita; neque eſt, qui reſiſtere poſſit voluntati eius. alij, qui appellantur Domini, non abſolutè ſunt, aut dicuntur Domini, ſed certorum locorum, rerum, & perſonarum: neq; à ſe Domini ſunt, ſed à Deo, à quo eſt omnis poteſtas. Ipſi quoque ſubiecti ſunt Deo. Quapropter Deus Rex Regum, & Dominus Dominantium nominatur, qui à ſe potentiſſimus eſt, dans, & auferens quibus, ac quando vult imperia. Quarè alia eſt ſeruitus, quam Deo vni omnium Domino, alia, quam alijs certis Dominis pro varijs vitæ conditionibus à Deo conſtitutis ſeruimus. hæc multiplex eſt:

Cap. 42. *Cap.* 5. *Pſal.* 67. *Pſ.* 118. *Eſth.* 13. *Rom.* 14. *Apoc.* 17 *et* 19. & 1. *Tim.* 6

illa,

illa, quæ Deo tantùm vni omnium Domino debetur, Græce dicitur Latria. Hic vocamus Deum filium Dominum tum ratione ditionis, quam in omnes res creatas habet; tum ratione redemptionis, quia nos ſuo ſanguine magno pretio emptos iure quodam gentium fecit ſuos; tum ratione gratiæ, cùm in mentibus piorum hominum ſingulari quadam poteſtate & beneficio regnat. Etenim trium diuinarum perſonarum quoniam vna, & eadem eſt vis, ideò Dominus eſt Pater, Dominus eſt Filius, Dominus eſt Spiritus ſanctus: neque ob id tres Domini, ſed vnus eſt Dominus; quia trium diuinarum perſonarum vna, & eadem eſt natura, voluntas, & poteſtas. Præter hanc communem tribus diuinis perſonis poteſtatem Deus filius etiam ob redemptionem ſingulari quodam modo in ſe credentium Dominus eſt. Licetq; redimendi poteſtas ſit non ſolùm Filij, ſed etiam Patris, & Spiritus ſancti, quoniam trium diuinarum perſonarum eſt eadem authoritas; neq; nos à Diaboli ſeruitute redimi, niſi diuina virtute potuimus: tamen ipſe actus redemptionis, quæ ſanguinis pretio facta eſt, proprius Filij fuit, qui ſolus homo factus pro noſtra redemptione ſanguinem fudit. Atq;
Apoc. 1. inſuper nos vero Deo regnum effecit; quoniam adiuti gratia, quæ nobis per ipſum confertur, diuinis mandatis obtemperamus: ſicque in nobis Deus regnat. Vt enim Deus licet in omnibus ſit, non tamen in omnibus habitat, niſi in his, à quibus cognoſcitur, & diligitur, ſic, licet in omnibus dominetur, non tamen in omnibus regnat, niſi in his, qui voluntatem eius faciunt.
Pſ. 1. Quarè ſi Dauid Dominum omnium, quia tunc à ſolis Iudæis ritè colebatur, Dominum noſtrum vocauit, & nos Chriſtiani potiore iure Dominum noſtrum appellabimus,

labimus, quem meliore cultu veneramur & colimus. *quæſumus*] hoc verbum idem ſignificat, quod oramus: neque alios modos, & tempora habet, quàm indicatiuum, & præſens; neq; alijs perſonis deſeruit, quàm primis: ac dicimus quæſo, & quæſo te, & quæſo à te, vt Grammatici docent. *excita*] idem eſt excitare, quod commouere. Ne tamen exiſtima Deum vllo aut corporis niſu, aut mentis affectu moueri, qui corporis expers, & immobilis eſt; ſed ad oſtendendam magnitudinem, & vim peccati, quod niſi diuina quadam virtute vinci nequit, rogatur Deus, vt ad liberandos nos à peccatis neruos ſuos intendat; ſimul & precantis affectus innuitur, qui verſans in multis, magniſq; periculis citum, & magnum auxilium poſtulat. Sic ante Chriſti aduentum ſancti illi viri Deum precabantur, Vtinam diſrumperes cælos, & deſcenderes. Et quidem (vt ſuprà diximus) maiore potentia vſus eſt Deus ad ſaluandum, quàm ad creandum hominem. Nam hominem ſolo verbo creauit: at ad ſaluandum, debellandus Diabolus, vincenda mors, diſſoluenda vincula, ſananda vulnera, abluendæ ſordes, delendæ culpæ, ſoluendæ pœnæ peccatorum, & cælorum portæ aperiendæ fuerunt. Tanto negocio ſalus hominis comparata eſt. Iure igitur qui diuino, & celere auxilio indigemus, eum, qui ſolus liberare, & ſaluare nos poteſt, vt nos inſtantibus periculis peccatorum liberet, enixè obſecramus, excita *potentiam*] vim, & poteſtatem. & benè additum eſt *tuam*] quia nullius vis poteſt nos ex peccatis, peccatorumq; periculis eripere, & liberare, niſi Dei. Eſt autem diuina potentia ipſa natura diuina faciens quæ vult. *& veni*] & illabere in corda noſtra, ſiuè in animos noſtros, in quibus inhabites. Tunc in no- *Eſa. 64.*

ſtros animos venit, cùm ſuam gratiam infundit: qua affecti Deum diligimus, & peccatum odimus. Et quò magis diuina gratia in nobis augetur (ſemper enim, dum in hac vita ſumus, poteſt augeri) eò propior, & coniunctior nobis eſt Deus; ac magis magiſq; à nobis diligitur. *vt mereamur*] etenim neceſſe eſt ornatos nos eſſe diuina illa gratia, quam habitualem vocari diximus, & reddentem hominem Deo charum atque acceptum, vt promereamur à Deo diligi, beneficijs affici, contra inimicorum inſidias, conatuſq; defendi, & æterna demum gloria donari. Hac gratia nos Dei filius, cùm ad nos venit, exornat. Quòd ſi quandoque Deus beneficium aliquod hac gratia carentibus confert, non illorum indignitatem, ſed ſuam clementiam & bonitatem reſpicit, quam in omnes diffundit. verumtamen cæleſtem gloriam non niſi dignis, & benè merentibus tribuit; quos nimirùm cæleſti gratia cohoneſtatos videt. Quamobrem precamur Dei filium, vt ad nos veniat, ſuamq; nobis gratiam donet, ac dignos efficiat è peccatorum periculis eripi, atque ſaluari. Precamur itaque diuina gratia donari, qua conſequi mereamur æternam ſalutem, & gloriam. Ergo *mereamur* idem eſt, quod digni reddamur à tua gratia, quos è peccatorum periculis eripias, & ſalues. *eripi*] liberari. Eripere propriè eſt auferre, & quaſi ex alterius manibus extorquere. *te protegente*] cùm tu nos protegis atque defendis; vel ad tuam protectionem atque defenſionem *à periculis peccatorum*] peccatum eſt quicquid contra legem Dei tam ſcriptam in tabulis, quàm inſitam in animo vel cogitatur, vel dicitur, vel fit: periculum eſt formidoloſæ, atque horribilis rei vicinitas & appropinquatio. Quid peccato eſt horribilius,

lius, & formidabilius, quod æternum interitum affert, & in perpetuò duraturum ignem hominem inijcit? aut quis non videt quàm propinqua & vicina ſint nobis innumera peccatorum pericula ab inſidijs Diaboli, à blanditijs carnis, à curis rerum ſecularium? à quibus nos liberare nulla res poteſt, niſi vna Dei gratia. *imminentibus*] inſtantibus, atque impendentibus vbiq;, ac quouis temporis momento. *&, te liberante,*] & cùm tu nos liberas, vel eripis, ſiue ad tuam è periculis peccatorum liberationem *ſaluari.*] ſalui fieri. Atque hoc conſequitur illud, nempè ſalus animæ liberationem è peccatis. Quarè ſi à ſolo Deo ſalus datur, qui ſolus vulnera peccatorum ſanat, & cæleſti gratia ſanatos à peccatorum periculis tuetur, rectè dictum eſt Salus iuſtorum à Domino eſt. *Pſal.36.* Quidam Grammatici, qui peritiam verborum iactant ſuam, vt ſaluatorem negant eſſe vocem latinam, ſic quoq; negant ſaluari verbum eſſe latinum; ſed aiunt ſeruatorem, & ſeruari latinè dici. At certè aliud ſeruator, aliud ſaluator ſignificat: ſeruator dicitur, qui tuetur ſalutem; ſaluator verò, qui etiam dat, nulla cùm adſit. idemque eſt ſaluator, qui apud græcos ſother: ſother autem (id quod etiam Cicero fatetur) vno verbo latino dici non poteſt, ſed *I.v.* duobus, nimirùm dator ſalutis. Vnde Chriſtiani Theologi cùm vnam vocem latinam non haberent, qua nomen græcum ſother exprimerent, & Chriſtum datorem ſalutis prædicarent, nouam hanc vocem, nempe ſaluatorem excogitarunt; ne circuitione vterentur. Non enim qui docet, vti debet circuitione, ſed artis proprijs vocabulis: quæ ſi deſunt, noua ſunt omnino facienda. Quis autem obſecro meliùs Theologiæ vocabula nouaſſet, doctiſsimus ne Theologus, an vanus

Grammaticus? Atq; vt ſaluatorem, ſic etiam ſaluare dixerunt. Eſt autem ſaluare ſalutem dare, datamque tueri. Omnem verò ſalutem tam animæ, quàm corporis vnus per ſe Deus dat, atque conſeruat. ideoq; Saluator dicitur: atq; hoc nomen vnius Dei proprium eſt. Salus autem, quam à Deo potiſſimè optare debemus, eſt animæ: quæ ſalus æterna eſt; ac ſingulari Dei beneficio in terris inchoatur, & in cælis perficitur. Hæc oratio, quoniam habetur ad Filium, his verbis concluditur, *Qui viuis, & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus ſancti Deus per omnia ſecula ſeculorum.* Hæc eſt ratio, cur nos Filius poteſt liberare à periculis peccatorum, & ſaluare, quia eſt Deus, & Dominus, ſicuti Pater, & Spiritus ſanctus: quippe qui eandem naturam, & potentiam habet, quam Pater, & Spiritus ſanctus: ac quà Deus eſt (eſt enim Deus nomen eſſentiæ omnium præſtan-

Dom. infra Oct. Natiuit. tiſſimæ, ac ſemper æternæ, vt alibi dicetur) ſemper viuit; ac quà Dominus eſt (nam, vt diximus Dominus eſt nomen poteſtatis) ſemper, & vbique regnat. Viuit porrò ſemper, quia ſemper eſt idem, & immutabilis, ſe ipſum, & in ſe ipſo cuncta ſemper intelligens: & quia ſolus Deus eſt immutabilis, ideò ſolus Deus habet, vt

1. Tim. 6 B. Paulus ait, immortalitatem. Aliorum vita vel aliquando finitur, vel aliquando principium habuit, neq; vi ſua, ſed Dei ſingulari beneficio perdurat. Deus verò, quoniam à ſe eſt, non pendens ab alio, ſemper ex ſe fuit, eſt, & erit, ſe ipſo contentus, permanens ſemper idem. At fortè quis me roget quid ſit viuere, & quæ ſit Dei vita? Viuere eſt ex ſe ipſo moueri; & vita eſt ex inſito innatoq; principio motus. Mouentur vi ſua, atq; ex interiore principio quæcunque vigent, vt plantæ, & quæ ſentiunt, vt animantes, & quæ intelligunt, vt

mentes. Vnde & vigentium, & ſentientium, & intelligentium, quæ ab innato vitæ principio ſunt, opera dicuntur vitalia. Et quanquàm vigentium motio prima vitæ nomen accepit, quia primum animatorum genus apud nos eſt vigentium; tamen intelligentium motio magis vita dici debet, quàm aut vigentium, aut ſentientium, quia nobilior, atque perfectior eſt. Iam Deus eſt ſpiritus, ſiue animus, aut mens ſimplex, & immutabilis, ſe ipſam, & omnia in ſe ipſa vno obtutu ſemper intelligens: & quoniam à ſe ipſa eſt, verè viuit; & maximè omnium viuit, quia eſt aliorum vita; cùm aliorum viuentium motionis innatum principium à Deo ſit primo, & ſummo rerum omnium principio. Quamobrem Dei, qui æterna mens eſt, vita eſt ſui ipſius, & omnium rerum in ſe ipſo perennis, & perfecta contemplatio. propter quam Cicero Deum dixit *Tuſc. 1.* eſſe mentem motu præditam ſempiterno. Regnat verò Deus ſemper, quia ſemper omnia ſuo dominatu tenet: cuiuſque imperium etiam res ſenſu carentes, vt mare, & venti, perſentiunt. Et quanquàm omnibus naturis imperat diuina ſua poteſtate, qua cuncta continet, tamen capacium rationis voluntatibus etiam ſingulari quadam ratione dominatur, quas ſingulari quadam gratia beneuolas ſibi, & obtemperantes reddit. Viuit igitur, & regnat Deus filius, nec ſeorſum à Patre, & Spiritu ſancto, quando vnum ſunt, ſed cum Patre, & Spiritu ſancto; qui vinculum eſt mutuæ dilectionis Patris & Filij. Igitur illud *in vnitate Spiritus ſancti* expones in vnitate, quam facit Spiritus ſanctus. *per omnia ſecula ſeculorum*] hoc eſt, in æternum tempus. Conſueuit enim ſacra ſcriptura id, quod nullum finem temporis habet, vocare æternum; & æternum tempus

vocare

vocare ſecula ſeculorum. Seculum eſt multorum annorum ſpacium; cuius circumſcriptio vnius hominis vitæ naturale curriculum metitur; poniturq́; interdum in ſcripturis ſacris pro vita, quam hic in terris agimus, quæ finem habet. at ſeculum ſeculi æternum tempus ſignificat, & ob excellentiam quandam ſignificat alteram vitam, quæ in omni æternitate durat; perinde vt Salomonis canticum, quod omnibus canticis excellit, canticum canticorum nominatur. Atque vt ſeculum ſeculi, ſic etiam ſecula ſeculorum ad ſignificandam æternitatem dicimus. Quidam his verbis *per omnia ſecula ſeculorum* notari æternitatem aiunt (vt eorum verbo vtar) conſecutiuè; quòd ſeculis ſecula conſequentibus tempus continuetur, atque ita fine careat. tempus autem fine carens Philoſophis eſt æternitas. At obijcies poſt perfectum vniuerſale iudicium nullum fore tempus; quia nullus erit cæli motus, cuius menſura eſt tempus. ſed nos æternitatem non poſſumus noſtra intelligentia comprehendere, ni tempus infinitum commentemur. Itaque B. Paulus illam æternitatem vocat tempora æterna; hæc verò tempora, quæ finem habent, vocat tempora ſecularia. Verùm hæc meliùs intelligentur, cùm de Dei æternitate loquemur.

Rom. ult.
2. Tim. 1. et Tit. 1.
Dom. intra Oct. Natiuit.

DOMINICA II.

ADVENTVS.

ORATIO.

Excita Domine corda noſtra ad præparandas

das vnigeniti tui vias, vt per eius aduentum purificatis tibi mentibus ſeruire mereamur: Qui tecum.

Rogamus Deum patrem, vt noſtras voluntates moueat ad ornandas eius filio ad nos vias; cuius præſentia digni reddamur illi puris & caſtis mentibus inſeruire.

Non ſic rogamus Patrem, vt non etiam ſimul & Filium, & Spiritum ſanctum rogemus; quorum nec diuiſa maieſtas, nec diſtincta voluntas eſt: ſed quia Pater eſt principium Filij, & cum Filio eſt principium Spiritus ſancti, cuiuſdam obſeruantiæ gratia ſpeciatim ipſum oramus. Nec Filius ſinè Patre, & Spiritu ſancto in noſtras animas venit, qui nunquàm à communi diuinarum perſonarum conſociatione ſeiungitur: ſed quia ſolus Filius factus eſt homo, & cum hominibus verſatus eſt, ob id eius in nos aduentum potiſsimè memoramus. Ac quando Filium in prima Dominica rogauimus, vt ad nos veniret, nunc Patrem in hac altera Dominica rogamus, vt mentes noſtras ad recipiendum Filium, ſicut decet, afficiat. Neceſſe quippe eſt ad accipiendam Dei gratiam, diuinum, inquàm, illud donum, quo ex iniuſtis iuſti, & ex inimicis amici Dei efficimur, animum ritè componi. Neque enim gratia niſi (vt ſuprà diximus) præparatæ animæ infunditur. *Domi. 1.* Cùm igitur ſuperiore oratione poſtulaſſemus cæleſtem *Aduen.* gratiam, hac poſtulamus diuinam motionem, qua nos

ad

ad recipiendam cæleſtem gratiam præparemus. Ac quanquàm vtrunq; Dei munus eſt, ſcilicet in corda noſtra venire, & corda noſtra, in quæ veniat, præparare, tamen aduentum ratione incarnationis Filio, præparationem ratione princip:j Patri Deo adſcribimus. Vnde quis fortè hanc orationem, qua præparari corda noſtra ad recipiendam diuinam gratiam petimus, primam faceret: ſed ad Filium Dei primò confugit Eccleſia, diuinam gratiam implorans, quia eius aduentum celebrat, quo ſalui facti ſumus. *Domine*] huius nominis vim & ſententiam ſuprà explicuimus. *excita*] excitare idem eſſe, quod commouere, ſuprà etiam diximus. Deus, vt eſt principium motionis corporum naturalium, qua in ſuos fines impelluntur; nam omnem motum naturalem neceſſe eſt ad vnam principem cauſam referri, quæ, immobilis ipſa manens, alia moueat; ſic etiam principium eſt motionis animorum, qua ad ſuam felicitatem, & perfectionem aguntur. Sed hoc inter expertes rationis, & capaces intereſt, quòd expertes, quoniam reguntur ab alio, nimirùm ab intelligentia non errante, ſemper in ſuos fines aguntur: capaces verò, quoniam liberæ, & ſui iuris ſunt, habentq; in ſe ipſis poſitam actionum ſuarum poteſtatem, non ſemper in finem ſeſe agunt, in quem à Deo mouentur, offuſis menti à peccato ignorantiæ tenebris, & praua dominante cupiditate. Quam diuinam motionem, vel afflatum, ſiue inſtinctum Theologorum quidam inſpirationem appellant: de qua alibi dicetur. Hunc igitur inſtinctum precamur, cùm oramus, vt excitet *corda noſtra*] noſtros animos, & voluntates. Cor pro animo ſatis latinè dicimus: atque vt animus ſignificat mentem, & voluntatem, ſic etiam cor pro mente,

Domi. 1. Aduen.

Domi. 5. poſt Paſcha.

mente, & voluntate ponitur. ex quo vocamus concordes eos, qui vel eundem ſenſum, vel eandem voluntatem habent. Hinc nimirum eſt, quòd ſacra ſcriptura cor pro cogitationibus, vt renes pro delectationibus vſurpat. ſic verba illa Vre renes meos, & cor meum, *Pſ. 25.* ſancti, & docti viri interpretantur, nempe delectationes, & cogitationes & B. Paulus cor pro voluntate illic poſuit, Obediſtis ex corde, hoc eſt, ſponte, ac veſtra voluntate. *Rom. 6.* Nec præter rationem cor pro voluntate ponitur. nam vt cor naturalem calorem continens per vitales, qui ex ipſo oriuntur, ſpiritus cætera corporis membra ad ſuum quodque munus & officium mouet; ſic animæ virtutes, quas vocant potentias, ad actiones ſuas, actionumq; certum finem voluntas impellit: qui ſi bonus eſt, & voluntas bona eſt; ſin malus, & voluntas mala. Vnde rectos corde vocamus, qui bonam voluntetem habent. At de bona, & mala voluntate alibi dicemus. *ad præparandas.*] parandas, muniendas, inſtruendas, ornandas. *vnigeniti tui*] per quas vnicus Filius tuus in nos veniat. *Dom. infra Oct. Natiuit.* Præparat Deus voluntatem noſtram, cùm ipſam mouet, atq; ad ſe ipſum conuertit: præparamus & nos, cùm ipſam à Deo motam ad Deum conuertimus. Dicimus autem præparare viam Domini, ſicut B. Ioannes Baptiſta venientibus ad ſe in deſerto prædicabat, Parate viam Domini; *Luc. 3.* & dicimus parare vias Domini: cùm viam dicimus, vniuerſam benè viuendi formam, quæ multis præceptionibus conſtat; cùm vias dicimus, ipſas præceptiones intelligi volumus, quæ totam benè viuendi formam continent. His præceptionibus conformatæ noſtræ cogitationes, & actiones ad Deum verum, & ſummum bonum intenduntur; non ad amorem ſui, aut

odium proximi declinant: non ſublatæ ſuperbia, non deſperatione depreſſæ, planæ ob æquitatem, apertæ ob ſimplicitatem, gratæ ob manſuetudinem ſunt. Bonarum actionum quædam gratiam, quam habitualem vocari diximus, antecedunt; quædam à gratia ſunt: illis præparatur cor ad recipiendam ipſam gratiam; his gratia in animo augetur. Itaque duplex inſtinctus Dei, ſeu duplex diuinum auxilium eſt: quorum priore in Dei gratiam redimus; poſteriore verò chariores Deo reddimur. Ac quò magis nos Deus diligit, eò propiùs ad nos venire, & accedere dicitur. Prius auxilium petunt, qui alicuius criminis ſibi conſcij ſunt; poſterius verò, quos cum Deo pœnitentia reconciliauit. Vocem illam *vnigeniti* latinorum quidam minùs probant, ac pro vnigenito vtuntur vnigena. Filius Dei naturalis, qui eandem habet, quam Pater, naturam, vnus eſt. Deus enim ſe ipſum intelligens, concipit notionem ſui; quæ verbum dicitur. quanquàm verbum etiam ſignificat vocem, quæ mentis notionem exprimit. Quia verò vno tantùm actu ſe ipſum planè intelligit, ideò non niſi vnam, eandemq; perfectam & abſolutam ſui notionem habet. Cùm igitur vnum tantùm ſit verbum Dei, profectò vnus tantùm eſt Filius Dei, quem ſe ipſum intelligendo generat. Et quia ſemper intelligit ſe ipſum, ideò ſemper generat Filium. Quamobrem vnus eſt Dei Filius naturalis, cuius eſt eadem, quæ & patris, natura. ob idque dicitur vnigenitus. at, quà factus homo caput eſt omnium electorum, dicitur primogenitus. *vt mereamur ſeruire tibi mentibus purificatis per aduentum eius*] vel conſtrue verba ſic, *vt per aduentum eius mereamur ſeruire tibi mentibus purificatis*] Aduentum in nos filij Dei, ſeu cæleſtem gratiam ideò

preca-

precamur, vt nos dignos Dei ſeruos efficiat: quia ſinè gratia Deo placere, & eius mandata ritè facere non poſſumus. Nam gratia mentem purificat: eademque eſt promerendi à Deo diuina beneficia principium, & cauſa. Itaque verba illa *per eius aduentum* tam ad *mereamur*, quàm ad *purificatis* referri poſſunt. Seruimus Deo, cùm Dei mandata facimus. neque enim ſeruire aliud eſt, quàm alterius voluntati parere: ſicut immunditiæ, & deſiderijs carnis ſeruimus, cùm deſideria carnis ſequimur. Meremur autem ſeruire Deo, cùm dignè Deo ſeruimus. Seruimus dignè Deo, cùm noſtra ſeruitus digna habetur diuina mercede. Habetur digna mercede diuina, cùm cæleſtis gratia noſtras actiones informat. Diuinæ gratiæ in corda noſtra infuſionem eſſe dicimus Dei Filij in noſtras mentes aduentum; ſinè quo nulla noſtra actio grata eſt Deo. *tibi*] qui omnium Dominus es, & tuos ſeruos in tuo regno illuſtres & glorioſos facis. Eſt porrò nobis vel Deo, vel Dæmoni ſeruiendum. animaduertat quiſq; cui malit ſeruire, an Deo, à cuius ſeruitute beati ſumus; an Dæmoni, cuius ſeruitute nihil miſerius, nihil fœdius, nihil profligatius eſt. *mentibus*] id eſt animis. Quia nobis vox hæc mens in his orationibus explicanda frequenter occurrit, & plures ſunt eius ſignificationes, placet hic ipſas exprimere, vt quid in quaq; oratione ſignificet intelligatur. Mens quandoq; ſignificat animum, nimirum eam animæ partem, qua intelligimus, & volumus quod intelligimus; quandoq; ſignificat tantùm alteram animi partem, videlicet aut intelligentiam, aut voluntatem. quæ animi partes, intelligentia, inquam, & voluntas vocantur potentiæ, ſeu virtutes, quibus animus poteſt intelligere, & velle

quod intelligit. Intelligentia, quæ & ratio ſæpè nuncupatur, à qua mentes diuinæ, quas Hebræorum more Angelos nominamus, dicuntur rationales, cognitioni rerum ſtudet: atque interdum ſolam cognitionem petit, vocaturq; tunc inſpectiua; interdum cognitionem ad actionem, aut ad factionem refert, vocaturq; tunc uel actiua, uel factiua, cùm uel faciendi modum, uel agendi uiam excogitat. Factio ad artem, actio ad prudentiam pertinet. Ac nonnunquàm inquirit ignota; nonnunquàm contemplatur nota. Vis indagans uerum nominatur ratio inferior; uis contemplans uerum nominatur ratio ſuperior. Percipimus autem ignota ex notis; atque hoc eſt ratiocinari, quod uulgò dicitur diſcurrere, nempe ex notis ad ignota uenire. Quæ animi uis dicta ratio inferior eſt hominis propria, & à qua uocatur rationalis, uulgò diſcurſiuus. Hæc nulla eſt in Angelis; quibus rerum naturæ manifeſtæ, & apertæ ſunt. Quamobrem Angeli non ab inferiore, vt homines, ſed à ſuperiore ratione rationales vocantur, non ratiocinantes quid ex quoq; ſequatur, ſed contemplantes rerum formas atque naturas. Ex his agnoſcis mentis varias ſignificationes. Nam modò totum ipſum animum, modò rationem ſuperiorem, modò rationem inferiorem ſignificat, dicta (vt quibuſdam placet) à metiendo, quòd metiatur atq; perpendat cauſas rerum non ſolùm ſciendarum, verùm etiam agendarum. vnde pro conſilio frequenter vſurpatur: quod eſt de re aliqua conſultatio. modò etiam voluntatem ſignificat, & quam Theologi vocant intentionem, veteres latini propoſitum. Nonnulli quoque volunt mentem aliquando vſurpari pro memoria. Hoc loco mens, ni fallor, totum animum ſignificat:

 ficat:

ficat: quem à Deo excitari precamur ad recipiendum venientem in nos eius filium, *purificatis*] mundus, puruſq; fit totus animus, cùm & intelligentia, & voluntas purificantur, à labe quidem voluntas; à cæcitate verò intelligentia. Nam qui animum à ſummo, & vero bono auertit, & ad bonum creatum adijcit, ex praua cupiditate fœdatur voluntas, & obcæcatur intelligentia. Cùm ergo Deus ſua gratia de noſtra intelligentia tenebras repellit, & de voluntate fœditatem abſtergit, tunc purus, caſtus, & integer fit animus. Fortè aliquis mentis voce partem alteram animi, nempe voluntatem, ſignificari contendet: quòd hac oratione precetur Eccleſia voluntates noſtras mundari; ſequente verò oratione precetur intelligentias illuminari. itaque interpretabitur *mentibus purificatis* ex macularum & ſordium à diuinæ gratiæ abſterſione puris, & mundis effectis voluntatibus: dicetque Eccleſiam precari priùs mundari voluntatem, quàm illuminari intelligentiam; quòd principium noſtræ conuerſionis ad Deum ſit à voluntate; quæ à Deo mota, & cæleſti ope adiuta cæteras animæ potentias ad comparandam veram felicitatem mouet. Concluditur hæc oratio, quoniam in ea facta eſt mentio Filij *Qui tecum viuit*] quæ verba ſuprà explicata ſunt. *Domi. 1. Aduen.*

DOMINICA III.

ADVENTVS.

ORATIO.

Aurem tuam, quæſumus, Domine preci-

bus

bus noſtris accomoda, & mentis noſtræ tenebras gratia tua viſitationis illuſtra: Qui viuis, & regnas.

Precamur Deum filium, vt noſtras preces audiat, &, ad nos veniens, luce ſuæ gratiæ noſtrarum mentium tenebras illuminet.

Effectus diuinæ gratiæ non ſolùm eſt recta voluntatis affectio, verùm etiam mentis, ſiue intelligentiæ illuminatio: qui effectus licet ab eadem gratia eueniant; tamen ratione quadam inter ſe differunt. Vnde gratia propter differentes effectus varijs rebus aſſimilatur, quæ ſunt talium effectuum cauſæ; veluti ſpiritui propter commotionem, & lumini propter illuſtrationem, & aquæ propter ſordium abſterſionem, & oleo, quia fouet animum, confirmatq; contra res omnes aduerſas, & arbori propter bonas actiones, quæ ab ipſa ſunt, & fructus vocantur, atque item alijs rebus propter alios effectus. Neque abs re mentem noſtram à Deo Filio
Hebr. 1. petimus illuſtrari; quia ipſe eſt ſplendor Patris, & lux
Io. 1. vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *accommoda aurem tuam precibus noſtris*] accommodare aures precibus eſt aures aptare ita, vt precantes audiat. Audire precantes dicitur Deus, cùm illorum precibus annuit; non autem audire, quando non annuit: perinde vt cernere aliquid dicitur, cùm illud probat; non autem cernere, quando non probat. ſic peccata dicuntur abſcondita Deo, quia exoſa ſunt
Pſ. 117. Deo: de quibus abſconditis improborum hominum

venter

venter adimpletur. Auris eſt pars capitis,in qua, tanquàm in ſua ſede, hæret audiendi ſenſus, quo ſonos, voceſq; percipimus. Noſtri Philoſophi aurem vocant ſenſorium auditus, nimirum in quo auditus, ſiue ſenſus audiendi eſt. Aures ſunt duæ: vnde dicimus præbere aures, & aurem alicui,dum audire quempiam volumus. Ne verò credas, cùm aut caput, aut faciem,aut oculos, aut aures, aut nares, aut os, aut manus, aut pedes audis Dei, humanis membris diuinam conſtare naturam, quæ, nullum obſidens locum, vbique eſt, ſimplex, atque omnis iunctionis expers: ſed ſcito per ſimilitudinem quandam dici, tranſlatis his, quæ ſunt corporis, ad ea, quæ ſunt ſpiritus; vt membra Dei (quemadmodum ſancti quidam, & docti viri interpretantur) virtutes operum Dei, caput diuinitatem, quæ omnibus naturis eminet, facies cognitionem eius, quæ nobis diuino quodam munere datur; oculi potentiam, ſeu virtutem, qua omnia cernit, aurès virtutem, qua omnia audit, nares inſpirationem, qua corda fidelium mouet, os eloquium, manus fortitudinem, & ſapientiam, pedes vbique præſentiam, & firmitatem eius ſignificent. Id, quod precariò poſcimus, eſt, *illuſtra tenebras mentis noſtræ gratia viſitationis tuæ*]. Illuſtrare, ſiue illuminare eſt lumen afferre, ac clarum facere. Lumen eſt ſplendor è lucido corpore emanans; &, vt rectà progreditur, vocatur radius: lux eſt ſplendor in ipſo corpore inhærens. exempli gratia,ſplendor, qui eſt in globo Solis, dicitur lux; ſplendor verò, qui è globo Solis egreditur, dicitur lumen: quanquàm his vocibus luce, & lumine promiſcuè pro quouis ſplendore vtimur. Tenebræ ſignificant luminis priuationem: quæ priuatio de corpore dicitur, quod ap-

tum eſt recipere lumen. vnde aër tenebricoſus dicitur, cùm lumine caret, quo perfundi eſt aptus; & lucis ab eo diſceſſus, & abſentia tenebræ aëris nominantur. Quamobrem tenebræ philoſophis nomen eſt priuans: etſi interdum ſignificat ipſum aërem caliginoſum; ſicque philoſophis nomen eſt (ut loquuntur) poſitiuum. Cæterùm ut plura ſunt genera luminum, ſic quoque plura ſunt genera tenebrarum. Nam quoddam lumen eſt corporeum, quod oculis cernitur, quale eſt lumen Solis; quoddam eſt non corporeum, quod oculis cerni non poteſt, quale eſt lumen, quod mentem illuſtrat. Atque hoc lumen vel eſt naturale, innatum, & quaſi infixum in animo, quod rationis lumen appellant; vel ſupernaturale, aduentitium, extrinſeçus à Deo adueniens, omnem naturæ facultatem ſuperans. Hoc quoque lumen duplex eſt. nam alterum dicitur gratiæ, quo fideles hic in via Deum verè coſcunt; alterum gloriæ, quo illic in Patria Deum beati apertè conſpiciunt. Et rationis quidem lumine qui magis illuminantur, ſapientiores, & prudentiores homines habentur; quia rerum ſciendarum, & agendarum rationes pro humana facultate meliùs diſpiciunt. Quo quidem lumine Deum, vt primam & principem cauſam, homines cognoſcere poſſunt; ſicut philoſophi per creatarum rerum veſtigia in Dei cognitionem
Rom. 1. venerunt: quanquàm deinde ipſum Deum non, vt oportuit, honorarunt. At verò ad cognoſcendum Deum, vt noſtræ creationis, redemptionis, & beatitudinis authorem, opus eſt lumine gratiæ; quo adiuta mentis noſtræ acies iſta pertingat, ad quæ lumen rationis non pertinet. Ad cernendum verò Deum in cælis opus eſt lumine gloriæ: quo non illuſtrabitur,

qui non lumine gratiæ priùs illuminatus fuerit. Iam totidem ſunt genera tenebrarum, quot luminum eſſe diximus. Nam corporei luminis priuatio tenebræ ſunt corporis apti corporeo lumine illuſtrari; non corporei luminis verò priuatio tenebræ ſunt mentis aptæ huiuſmodi luce illuminari. ergo rationis luminis occultatio in inſaniente, & diuinæ gratiæ luminis à peccatore diſceſſus obſcuram mentem relinquunt. Ac mentis tenebræ, quæ à diuinæ gratiæ diſceſſu eueniunt, vocantur interiores propter damnatorum apud inferos tenebras, quæ exteriores appellantur; quoniam apud inferos nulla lux neque corporalis, neque ſpiritualis affulget. Peccatum quoque priuans nos lumine gratiæ, meritò tenebræ nuncupatur: in quo videlicet qui eſt, extra Deum eſt; qui (vt Beatus Paulus ait) lucem habitat inacceſſibilem. Quòd verò tenebræ ſignificent peccatum ex multis ſacræ ſcripturæ locis apparet. Apud Eſaiam legimus, Populus, qui ambulabat in tenebris; & B. Paulus Romanis ſcribit, Abijciamus opera tenebrarum; & B. Ioannes ait, Qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt. Ac ſanè peccator & eſſe tenebræ, & eſſe in tenebris dicitur: dicitur eſſe in tenebris, quoniam in peccatis verſatur; dicitur eſſe tenebræ, quoniam priuatus eſt lumine gratiæ. Ergo *illuſtra tenebras mentis noſtræ* interpretamur illumina intelligentiæ noſtræ cæleſti gratia orbatæ obſcuritatem. Mens hoc in loco, mea ſententia, ſignificat ſuperiorem animi partem, quæ intelligentia, ſiue intellectus nominatur; cuius proprium eſt rerum naturas, & rationes perſpicere: eſtq; mens, ſiue intelligentia in anima (vt Ariſtoteles ait) perinde vt oculus in corpore. Atque vt oculus, ſic etiam mens, neque res ille corporeas cer-

Matt. 8. & 22.

1. Tim. 6

Cap. 9.

Cap. 13.

1. Cap. 2.

1. Eth. cap. 6.

neret, neque hæc non corporeas intelligeret, ni corporeum lumen illi, huic non corporeum accederet, naturale quidem ad intelligendas res naturales, quod lumen naturale vocant lumen rationis, ſupernaturale verò, quod lumen gratiæ nominatur, ad intelligendas res ſupernaturales. Hoc lumen ſupernaturale Deus menti præfert, cùm homo ſe ad Deum conuertit; aufert verò, cùm ſe auertit. Atq; hac ratione dicitur Deus cor, ſiue animum hominis obcæcare, & in reprobum ſenſum dare, & indurare, cùm ab homine eius culpa gratiam ſuam tollit: quæ animum illuſtrat, vt Deum cognoſcat; & cor emollit, vt diuino inſtinctui cedat. Nec peccatum virtutem extinguit intelligendi, alioquin peccator nullam credendi vim & facultatem haberet, ſed mentem obnubit, ne lumine gratiæ illuſtretur. Atque vt Solis radius è terræ facie caliginem, ſic diuinæ gratiæ lumen ex mentis oculis nebulam, quam peccatum offundit, tanquàm cinerem ſpargit, & diſſipat. Ergo diuina gratia tenebras intelligentiæ illuſtrat, peccati nebulam diſpergendo, & mentis obſcuritatem illuminando. Hanc gratiam nobis Deus dat, cùm ad nos venit. *gratia tuæ viſitationis*] lumine gratiæ, quod tuus ad nos aduentus affert. Viſitat nos Deus, cùm mentes noſtras illuminat; nobiſque fert auxilium contra peccati vim, & vitioſos affectus. Viſitare idem eſt, quod inuiſere. Inuiſit Deus, cùm aut alicuius ſubuenit neceſſitatibus; aut ſumit de alicuius malè factis pœnam. Rogamus igitur hac oratione Deum, vt ad nos veniat, & gratiæ ſuæ lumine tenebras noſtræ mentis expellat. Cæterùm ſi habitanti in tenebris (vt Tobias ſentit) nullum gaudium eſſe poteſt; & delectabile eſt (vt Eccleſiaſticus ait) Solem oculis videre, certè horri-

2.Cor. 4. Rom. 1. Exod. 7. & Ro. 9. Pſ. 147. Cap. 5. Cap. 11.

horribilis eſt mentis cæcitas, & dulce gratiæ lumen: quod B. Petrus admirabile vocat, quia tanta eſt eius virtus, atque iucunditas, vt vix credi poſſit. 1. Cap. 2.

DOMINICA IIII.

ADVENTVS.

ORATIO.

Excita Domine potentiam tuam, & veni, & magna nobis virtute ſuccurre, vt per auxilium gratiæ tuæ, quod noſtra peccata præpediunt, indulgentia tuæ propitiationis acceleret: Qui viuis, & regnas.

Obſecramus Deum Filium, vt magna cum potentia, & virtute ſubſidio nobis adueniat, vt quod noſtris peccatis habere non ſinimur, eius præſentia quàmprimùm obtineamus.

Hæc poſtrema oratio quaſi quædam peroratio eſt, noſtrum exprimens deſiderium aduentus filij Dei, diuinæque gratiæ, cuius auxilio integritatem, & ſalutem animæ celeriter conſequamur. Neque eſt multum à prima diſſimilis. Etenim prima huius orationis verba *Excita Domine potentiam tuam, & veni*, fuerunt etiam pri-

Domi. 1. Aduen. mæ orationis prima; quæ à nobis ſuprà expoſita ſunt: quodque illa oratione rogabamus, vt nos ab imminentibus peccatorum periculis tueretur, atque ſaluaret, hoc ipſum ferè, ſed alijs verbis hac rogamus, *ac ſuccurre*] ſubueni *nobis*] famulis tuis *magna virtute*] magnis viribus. Virtus hoc loco vim, ſeu potentiam ſignificat: licet frequentiùs rectam & laudabilem animi affectionem ſignificet, vt alibi dicemus. Domi. 6. poſt Pent. Domi. 1. Aduen. At verò ſuprà oſtendimus Deum maiore vi vſum fuiſſe ad ſaluandum, quàm ad creandum hominem: quoniam ad creandum ſola Dei voluntas ſatis fuit; ad ſaluandum verò & voluntas hominis conuertenda à malo, & delenda omnis animi vitioſitas fuit. *vt indulgentia tuæ propitiationis*] vt gratificatio tuæ præſentiæ, hoc eſt, vt tua præſentia nobis obſecundans. Indulgentia tres habet apud Theologos ſignificationes. nam quandoq; ſignificat conceſſionem, quandoque permiſſionem, quandoque remiſſionem. diciturq; à verbo indulgeo, quod eſt obſequor, morem gero, & gratificor: quanquàm apud latinos frequenter vitio datur; quia ſignificat lenem eſſe in alios peccantes, præſertimq; in filios. Propitiatio nomen eſt proprium Theologorum à verbo propitior; quod eſt præſentem eſſe, ac fauere: & propitius apud bonos latinos eſt idem, quod præſens, facilis, ac mitis. *acceleret*] feſtinet, atque omni properatione maturet, adde (quod reticetur) dare nobis. ni velis hoc verbum *acceleret* poſitum eſſe præter communem vſum (vt grammatici loquuntur) actiuè, & habere poſt ſe accuſatiuum, & accuſatiui loco eſſe verba, quæ ſequuntur, *quod peccata noſtra præpediunt*] impediunt, vel, ne habeamus, officiunt, nempe ſalutem, vitam, atque felicitatem. Hæc nobis à diuina gratia, quam

Chri-

Chriſtus nobis conciliat, dantur. Acceleret autem *per auxilium gratiæ tuæ.*] per auxiliantem nobis tuam gratiam contra ſalutis noſtræ hoſtes, tuentemq; à peccatis, peccatorumq; periculis. Itaque Deum Filium oramus, vt celeriter ad nos veniat, & ſalutis noſtræ impedimenta ſuo aduentu, gratiaque remoueat; qua renouemur, atque ſaluemur.

DOMINICA INTRA octauam Natiuitatis Domini.

ORATIO.

Omnipotens ſempiterne Deus dirige actus noſtros in beneplacito tuo, vt in nomine dilecti filij tui mereamur bonis operibus abundare: Per eundem Dominum noſtrum.

Poſcimus à Deo Patre noſtras actiones ſecundum eius voluntatem inſtitui; vt eius filij Ieſu Chriſti gratia bonis operibus abundare mereamur.

Præteritis diebus dominicis Aduentus precati ſumus à Deo & animorum noſtrorum ad recipiendam diuinam gratiam præparationem, & ipſam gratiam, quæ per Ieſum Chriſtum donatur: hac die dominica, quæ intra Natiuitatis eius octauam agitur, quoniam è gratia

tia bonæ actiones proueniunt, tanquàm nobis data iam ſit ipſa gratia, precamur à Deo, vt pro ſuo arbitratu, & beneplaciti voluntate noſtras actiones inſtituat; vt eius Filij gratia magnam bonorum operum copiam nobis comparemus. Sed priuſquàm de humanis actionibus bonis, maliſq; differamus, explicemus oportet vim, atque ſententiam horum trium nominum *Deus, omnipotens, ſempiterne:* quibus ad excitandam in nobis erga Deum pietatem & beneuolentiam Eccleſia in ſuis orationibus frequentiſſimè vtitur. Deus eſt nomen (vt
Philip. 2. B. Paulus inquit) ſuper omne nomen. Eſt enim nomen præſtantiſſimæ, ſummæq; naturæ. Hanc, quia nulli hominum nota eſt, licet nullo explicare nomine poſſimus, (ſunt enim nomina rerum notæ; vnde & pro ipſis rebus, quarum ſunt notæ, ponuntur. quodpropter B.
Lib. 1. de Diuinis nomin. Dionyſius Areopagita negat, quod etiam ſapientiſſimus Salomon antè negauit, vllum eſſe naturæ diuinæ
Pro. 30. nomen) tamen pro eius notitia, quam ex rerum procreatione, & vniuerſitatis huius adminiſtratione cepimus, ipſam certo nomine ſignamus; appellamuſque Deum. quod latinum nomen à græco θεὸς ductum
Lib. 1. de Fide. Cap. 12. eſt. Huius nominis interpretationem Ioannes Damaſcenus docens, ait, quòd vel à verbo αἴθειν, quod eſt accendere; vel à verbo θέειν, quod eſt percurrere; vel à verbo θεᾶσθαι, quod eſt cernere, deriuatur. Eſt enim
Deut. 4. & Hebr. 12. Deus ignis ardens, & conſumens, non ſolùm ratione dilectionis & charitatis, verùm etiam virtutis & efficacitatis. Nam vt inter elementa ignis eſt maximè efficax, ſic inter omnes naturas diuina vim maximam habet. Proinde Zoroaſter vir magnæ inter veteres Theologos poëtas authoritatis, quòd ab vno Deo procreata ſint omnia, dixit,

—— *εἰσὶν πάντα πυρὸς ἑνὸς ἐγγεγαῶτα.*

—— *Omnia ſunt igne ex vno generata.*

Idem Deus omnia permeat, non ſe ſe huc illucq; agendo, locumue mutando, ſed omnia regendo & gubernando. Hinc nimirum Plato δίκαιον, latinè ipſum iuſtum, tanquàm διάιον dictum, mentem ipſam diuinam eſſe confirmat, quòd omnia intelligat, omnia pertingat, omnia regat. Idemq; Deus omnia cernit, etiam occultiſſimas hominum voluntates, & cogitationes: cuius ante oculos præterita, & futura ſunt præſentia: quiq; vocat ea, quæ non ſunt, tanquàm ea, quæ ſunt. Quamobrem poëtarum princeps Homerus Solem, quem eſſe Deorum ſummum veteres illi credebant, canit omnia cernere, & audire, Rom.4.

Ἠέλιος, ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις. Ὀδυσ.μ.

Sol, qui omnia cernis, & omnia audis.

quem Virgilius imitatus dixit,

Sol, qui terrarum flammis opera omnia luſtras. Aene.4.

His igitur rationibus præſtantiſſimam, diuinamq; naturam, quòd potentiſsima, & immenſa, ac ſapientiſsima ſit, Deum vocamus. Quòd autem neceſſe ſit in hac vniuerſitate rerum vnam aliquam eſſe naturam omnium præſtantiſsimam, perſuaſum eſt omnibus hominibus ab ipſa natura. *omnipotens*] vt nulla gens eſt, cui non perſuaſum ſit à natura eſſe Deum, ſic nulla etiam eſt, quæ non eundem eſſe omnipotentem credat. Qui porrò conſenſus omnium hominum vim habet neceſſariæ probationis. Hunc conſenſum facit communis ratio intelligendi; quam omnibus natura parens inſeruit. Oportet enim intelligere præſtantiſsimam quandam mentem neceſſariò in mundo eſſe, à qua res omnes pendeant: ſiquidem ad vnum principium omnia referri

ferri oportet; ac deinceps hanc eandem præſtantiſsimam mentem eſſe rerum omnium præpotentem. Vnde Poëtæ Iouem Deorum maximum vocarunt omnipotentem, cui ſumma rerum poteſtas ſit. Verùm poëtæ, & philoſophi aliter, ac veri Dei cultores; Deum prædicant omnipotentem. quippe illi, quia virtutem infinitam Deo tribuere noluerunt, ac negarunt à Deo de nihilo factum eſſe hoc vniuerſum, dixerunt Deum omnipotentem eſſe, non quòd poſsit quæcunquè velit facere, ſed quòd rerum omnium præpotens ſit, habeatque ſummam rerum omnium, quæ in vniuerſitate ſunt, poteſtatem. At Dei veri cultores, illuſtrati lumine fidei, Deum prædicant omnipotentem, non tantùm quia omnium potentiſsimus eſt, ſed quia poteſt facere omnia, quæ velt; nihilque eſt, quod eius voluntati poſsit reſiſtere. atque hoc eſt, quod fide tenere iubemur, quod humana ratione attingere nequimus. Et pulchrè quidem poëtæ, vt vim Dei maximam oſtenderent, finxerunt Iouem, quem fecerant Patrem hominumque, Deorumque, ſolo nutu capitis totum mundum concutere. Sic Poëta ille de Ioue, quod ab Homeno accepit,

Aen. 9. *Annuit: & nutu totum tremefecit Olympum.*

At quàm ſanctè, quamque ſapienter ſcriptores ſacri
Sap. 7. Deus, aiunt, eſt omnia potens, & in ſe permanens: &,
Pſ. 113. Deus autem noſter in cælo; omnia, quæcunq; voluit,
Eſth. 13. fecit: &, In ditione tua Domine cuncta ſunt poſita; neq; eſt, qui reſiſtere poſsit voluntati tuæ. Ex quo ſanè conficitur Deum, quia omnipotens eſt, omnia ſcire, omni-
Dom. 11. poſt Epiphan. buſq; proſpicere, vt infrà oſtendetur. Sed quidam nobis obijciunt Deum non poſſe peccare. quarè neque omnia facere. Quibus reſpondemus poſſe peccare non

virtutis & potentiæ, ſed imperfectionis & imbecilli-tatis eſſe. Non enim cadit peccatum, niſi in eum, qui mutabilis eſt. Mutabile eſt autem quicquid ab alio eſt. Cùm igitur Deus immutabilis ſit, quoniam à ſe ipſo eſt perfectiſſimus, ſummeq; beatus, nullo vtique pacto peccare poteſt. Vrgent præterea ſic, Deus non poteſt quod factum eſt infectum reddere. non poteſt igitur omnia facere. Quare Deum Agatho poëta, quem probat Ariſtoteles in Ethicis, ait hoc vno priuari, quòd non poteſt factum infectum reddere. Atq; hoc ipſum Plinius, qui naturalem Hiſtoriam ſcripſit, conuiciatori ſimilis, tanquàm probro, Deo nimis impudenter obiectat. Sed certè non vident nihil ei de potentia derogari ex hoc, quòd non poſsit quod factum eſt facere infectum; nec priuari munere aliquo, ſed impotentia, & imperfectione. Etenim ſi poſſet Deus factum infectum reddere, foret ſibi ipſi contrarius; idemque potens, & impotens eſſet, ſecumque diuina potentia pugnaret; ac contraria de Deo pronunciaremus. id quod diuinæ naturæ vitio daretur. Namque ſi hoc fuit, nec ſinè diuina vi, & voluntate fuit, verè dicimus hoc fuit: deinde ſi hoc ipſum negamus fuiſſe, negamus de Deo, quod antè aſſeruimus: ac parte aliqua potens, parte aliqua impotens foret, qui vincitur à ſe ipſo. Quarè non impotentiæ, ſed potentiæ, non imperfectionis, ſed diuinæ perfectionis eſt non poſſe quod factum eſt fieri à Deo infectum. *ſempiterne*] idem eſt ſempiternum, quod æternum, ſicuti permagnum idem eſt, quod magnum; niſi quòd hic particula ſemper, illic particula per ad augendam rem additur. Quidam volunt æternum dici, quod habet principium, ſed non finem; ſempiternum verò, quod & principio,

Lib. 6. Cap. 2.

Lib. 1.

K & fine

& fine caret. itaque animas hominum dici æternas, Deum verò ſempiternum. Sed harum vocum iſtud diſcrimen neque in ſacris, neque in profanis paginis à quoquàm obſeruatum video: in quibus & Deum æternum, & pœnam ſempiternam legimus. atqui Dei nulla eſt origo, & pœnæ eſt aliquod initium. Verùm quid æternum ſignificet, & quæ ratio ſit æternitatis, paucis explicemus. Aeternum apud philoſophos propriè ſignificat id, quod ſemper fuit, eſt, & erit; quod principio, & fine caret; quod neque incœpit eſſe, nec deſinet. ideoq; dicitur infinitum, & interminatum, quia nulla ex parte vllo termino finitur. Huiuſmodi eſt Deus, & ſolus quidem Deus; quia ſolius Dei eſt infinita vis, & eſſentia. Vocatur quoque æternum id, quod licet principium habeat, non tamen habet finem: ſic hominis anima, ſic etiam Angelus, quia nunquàm eſſe deſinet, quamuis eſſe cœperit; vocatur æternus. Hoc æternum philoſophi prorſus ignorarunt; qui perſuaſum habebant id, quod principium habet, habiturum neceſſariò finem. Sed huic philoſophorum doctrinæ contradicunt ſacra ſcripta omni phyſica ratione potiora: quæ docent à Deo fuiſſe omnia creata; & Angelos, atque animas hominum eſſe immortales. Theologi christiani hoc æternum, quod habet tantummodò principium, vt ab illo æterno, quod etiam principio caret, nomine diſtinguerent, appellarunt æuiternum nomine inuſitato à latinis, compoſito tamen recenter ab ipſis ex æuo, quod ætatem ſignificat, & æterno. Præterea vocamus æternum id, quod ſemper manet, non quidem in omni æternitate, ſed in toto naturali cuiuſpiam rei curriculo: ſic æternum laborem, æternam ærumnam, æternam ſeruitutem vocamus,

quæ,

quæ, dum viuitur, ſuſtinetur. Inſuper vocamus æternum augendæ veritatis cauſa, quod ad longiſsimum tempus durat. Nos de æterno loquimur; quod propriè æternum eſt; quod neque principium, neque extremum vllum habet. Huius æterni ratio eſt eius immutabilitas. Nam ideò æternum & immortale quid eſt, quoniam immutabile eſt. Eſt autem immutabile, quod interminatum, atque idem ſemper eſt. Si enim terminum aliquem haberet, aut eſſe cœpiſſet, aut eſſe deſineret: quarè mutationem aliquam pateretur: quandoquidem quod eſſe incipit, mutatur ex eo, quòd non eſt, in id, quod fit; & quod eſſe deſinit, mutatur ex eo, quod eſt, in id, quod non eſt. Tum de ſua natura & conditione mutatur, quod ſemper idem non manet. Igitur æternum eſt, quod interminatum eſt, & ſemper idem manet. Atqui ſolus Deus huiuſmodi eſt; qui (vt Salomon ait) in ſe permanet; quoniam à ſe eſt. Neque *Sap. 7.* enim ab alio eſt; qui omnium principium eſt; alioquin principium non eſſet, ſi ab alio eſſet. Non igitur incœpit eſſe, qui ſemper à ſe eſt. Sed neq; deſinet eſſe, quoniam à ſe eſt, quod enim à ſe eſt, ſemper eſt; quia nihil vnquàm ſe ipſum deſerit. ac manet idem ſemper, quia ſimplex eſt, nimirum à quo omnis compoſitio, omnis potentia ſimilis potentiæ materiei, omne accidens abeſt: videlicet in quo quicquid eſt ſubſtantia eſt. ob idq; purus actus à philoſophis nominatur; quoniam eſt ſimplex, & perfectiſſima eſſentia, nihil deſiderans, nihil aliunde recipiens. Nec ſanè principium eſſet, ſi ſimplex non eſſet. Quamobrem Deus, quia principium eſt, ſimplex eſt; ac quia ſimplex, & ſui ſimilis ſemper eſt, immutabilis eſt. Quòd ſi immutabilis eſt, certè immortalis, & æternus eſt: ac quia ſolus ſimplex,

1.Tim.6 immutabilis, & æternus à ſe eſt, ſolus (vt B.Paulus aſſerit) habet immortalitatem. Sed exponendum eſt quomodo æternitatem illam, ſiue interminatam diuinæ eſſentiæ durationem, in qua neq; præteritum, neq; futurum eſt, ſed tanquàm habentem præteritum, & futurum animo concipiamus. Duratio à verbo duro, quod idem ſignificat, quod verbum permaneo, (ſiquidem hoc nomine Theologi ad declarandam vitæ breuitatem, aut longitudinem vtuntur) notat rei permanſionem cadentem ſub menſuram temporis: qua quod menſuratur eſt quantum, ac deinceps diuiduum, neq; ipſa finitum; quia infinitum menſurari nequit. Cùm autem tempore menſuremus res mobiles, habentes partes alias alijs ſuccedentes; quippe tempus eſt menſura motus corporis ſecundum partem aliam poſt aliam moti; duratio diuinæ eſſentiæ, quæ infinita, ſimplex, ac tota ſimul, & ſemper eadem eſt, non poteſt vlla temporis definiri, deſcribique menſura: quandoquidem nullas partes habet, nullamq; mobilem ſucceſſionem partium. Sed tamen nos ipſam metimur eo modo, quo ſolemus metiri corporearum rerum durationem, humana transferentes ad diuina; vt innato, & conſueto nobis intelligendi modo res cæleſtes percipiamus. Quarè æternitatem, hoc eſt diuinæ eſſentiæ infinitam, immobilemq; durationem, tanquàm per omnia extenſam tempora, ſimul tribus temporibus præterito, præſente, & futuro deſignamus; ſed cuius præteritum non habuit initium, nec futurum habebit finem. Itemq; ſacri vates æternitatem interdum vocant diem, quæ neque ortum, neque occaſum habet. Pro intelligentiæ noſtræ igitur captu æternum vocamus, quod infinito tempore durat. Quare Deus æternus,

nus, ſiue ſempiternus eſt, quia ſemper fuit, eſt, & erit: quibus verbis in ſcripturis ſacris ſæpè deſcribitur. Iam orationis verba interpretemur. *dirige actus noſtros in beneplacito tuo*] inſtitue noſtras actiones ſecundum voluntatem tuam, ſic enim bonæ erunt. Sed quò meliùs hæc verba percipiantur, explicemus quid actio, quæ noſtra actio, quæ noſtra actio bona ſit. Actio, ſiue actus eſt opus, quod ex aliqua potentia, ſeu virtute animæ prouenit. Potentiæ, ſeu virtutes animæ plures ſunt. Sunt enim nutriendi, augendi, & generandi virtutes: ſunt etiam virtutes ſentiendi quæ intra, & extra corpus ſunt, vt ſenſus exteriores quinque omnibus noti, & interiores tres, ſcilicet communis ſenſus, phantaſia, & memoria: eſt quoque vis appetendi, & vis repellendi ea, quæ à ſenſibus tanquàm amica & inimica proponuntur, ira, inquàm, & cupiditas, ſiue iraſcibilis, & concupiſcibilis; eſt poſtremò vis intelligendi, & volendi id, quod vt bonum ab intelligentia proponitur. Igitur quæ ex his animæ potentijs opera prodeunt, vt generare, cernere, cogitare, cupere, iraſci, intelligere, velle actiones vocantur. Et quamuis omnes hæ actiones hominis ſint, non ſunt tamen omnes humanæ, ſed eæ, quæ voluntariæ ſunt. Sunt autem voluntariæ, quæ ex electione ſunt. Atque hoc eſt, quod ſecundo loco docere propoſuimus, nimirum quæ actio ſit noſtra. Noſtra ſanè eſt actio, quæ voluntaria eſt, quæque humana, & moralis vocatur: humana quidem, quoniam à ratione, quæ eſt hominis forma, inſtituitur; moralis verò à moribus, qui (vt alibi docebimus) ſunt affectiones animi modum capientes à ratione. Porrò vt voluntaria ſit actio, primùm oportet eius principium in nobis ineſſe; deinde naturam eius à nobis cognoſci, &

Apoc. 1.

Dom. in Albis.

finem,

finem, cuius gratia ſuſcipitur; poſtremò, liberum eſſe nobis ipſam accipere, aut relinquere. Quæ libertas eſt voluntatis, quæ ſui iuris eſt: verùm quòd ad hanc, vel illam rem ſe applicet, à ratione habet: ſiquidem ratio diuerſas boni formas ante voluntatem ponit, quarum quæque ipſam ſua ſpecie ad ſe allicit. Proinde humanarum, ſeu voluntariarum actionum principium in ratione & voluntate conſiſtit. Rationem ad indagandum, & perſpiciendum verum, quòd eius cognitio non ſolùm ad intelligentiæ, ſed ad vniuerſam quoque hominis perfectionem faciat, voluntas mouet princeps, & omnium potentiarum animæ regina, quæ totius hominis integritati, & abſolutioni proſpicit. deinde ratio voluntati tanquàm conſultrix proponit bonum, quod appetendum cernit. poſt tandem voluntas liberè ſeſe appellit ad bonum, quod ſibi propoſitum eſt, atque arridet. Itaque in quo eſt ratio, in eodem etiam eſt voluntas: nec voluntas vlla eſt ſinè ratione. Quarè brutorum animantium, quia rationis expertia ſunt, actionum principium licet inſitum in ipſis ſit, tamen non in ipſorum poteſtate, ſed in naturæ, quo reguntur, imperio poſitum eſt. Igitur quæ voluntariæ ſunt actiones, hæ noſtræ ſunt; quia in noſtra poteſtate ſunt: quas nimirum nos ipſi à nobis ſcienter, & vltro ſuſcipimus. alioquin ſi vel iuſtam habens excuſationem ignorantia nos inducat, vel vlla vis extrinſecus illata cogat aliud, quàm volumus, facere, non eſt voluntarium quod facimus. Hoc voluntarium, quod eſt ab electione, quam Ariſtoteles appetitum intelligentem, aut intellectum appetentem finit, quodq; græci à conſilio βούλησιν appellant, non modò in brutis animantibus non eſt, ſed ne in pueris quidem, cùm adhuc

nulla

nulla ratione vtantur; ſed eſt illud, quod græci ἑκούσιον vocant; latinorum quidam vertunt ſpontaneum; quoniam ſponte quadam aguntur, non ratione ducti, ſed inſtinctu quodam naturali, vel ſenſus impulſione commoti. Quod porrò nomen ſpontaneum quidam vt barbarum reſpuunt, ſed eſt ad notandas rerum differentias neceſſarium. Neque ipſum actiones, quæ à voluntate proficiſcuntur, voluntariæ ſunt, verùm etiam quæ à voluntate per rationem alijs potentijs imperantur. Etenim vis animæ, quæ reliquas vires ad ſuum quanque munus impellit, eſt (vt modò diximus) voluntas: impellit autem per rationem vim quanque animæ ad conuenientes ordinantem, & inſtruentem actiones. Vna vigendi virtus, ſiue potentia, quia nullam neque ſenſus, neque rationis capit cognitionem, nullum voluntatis, & rationis ſentit imperium: at iraſcendi, & cupiendi potentiæ, quæ cogitatione (voco hic cogitationem, quam permulti vocant imaginationem rerum ſingularum atque ſenſilium) cientur, quam ratio, quæ rerum vniuerſarum eſt, tanquàm cauſa ſuperior regit, poſſunt rationi, & voluntati parere; quia poſſunt cogitationem, quam informat ratio, ſequi. Hoc igitur pacto iſtarum potentiarum actiones ſunt voluntariæ. Et voluntariarum actionum aliæ ſunt interiores, quæ nimirum ipſius voluntatis propriæ ſunt, in ipſa manentes voluntate; aliæ ſunt exteriores, quæ ex alijs potentijs per certa corporis membra ipſarum potentiarum inſtrumenta, quæ græci organa vocant, non ſinè voluntatis, rationiſq; conſenſu extrà proueniunt. Quæ actiones tales equidem ſunt, qualis eſt ipſarum domina voluntas. Nam vt voluntas vel bona, vel mala eſt, ſic actiones, quarum cau-

ſa

ſa eſt voluntas; probitate, & prauitate veluti quibuſdam differentijs inter ſe diſtinguuntur; non dixi malitiam, ſed prauitatem: quia malitia non omni virtuti, ſed tantùm prudentiæ opponitur, quippe verſutiam, aut calliditatem notat; prauitas verò totius animi malam affectionem, ſicut bonam probitas, ſignificat. Videndum eſt igitur, quod tertio loco ſpectandum propoſuimus, quæ noſtrarum actionum bona, quæ mala ſit. Eſt bona, quæ à bona voluntate; mala verò, quæ à mala voluntate eſt. Bona voluntas eſt, quæ vult bonum; mala verò, quæ vult malum. Bonum eſt, quod ſecundum rationem eſt; quod contra rationem eſt, malum eſt. Ergo bonitas voluntatis à ratione eſt, non à rerum ſenſilium cogitatione, quæ facilimè decipitur. Quam ſi contingat ad voluntatem aliquid deferre, tanquàm bonum & appetendum, quod re vera malum ſit, ſi ad illud voluntas boni ſpecie decepta, & ab inferiore appetitu inuitata ſinè conſilio rationis inclinat, corrumpitur. At ratio, quam ſuperior quædam, & diuina vis regit, voluntati quod verè bonum eſt proponit. Hoc, quod à ratione voluntati tanquàm aptum & conueniens offertur, latini philoſophi vocant obiectum; vocant etiam finem, videlicet in quem, tanquàm in terminum quendam, ſiue ſcopum ſe ſe, ac vim ſuam voluntas intendit. Et quia finis, vt proxima cauſa mouens, & afficiens voluntatem, ipſam ſibi ſimilem reddit, ideò qualis eſt finis, talis eſt voluntas: ac qualis eſt voluntas, talis etiam eſt actio, quæ à voluntate exoritur. Et voluntatis interior actio bonitatem capit à fine; ſed exterior actio bonitatem capit non ſolùm à fine, verùm etiam à re, quæ tractatur: quam noſtri Philoſophi nunc materiam, circa quam, nunc obiectum,

obiectum, circa quod, vocant. à quo ſanè actio nomen, ſpeciemque ſortitur. Quæ autem res benè, aut malè agatur, eadem ratio docet, quæ finem probat. Ipſa enim eſt inſita in homine lex, quæ iubet facienda, prohibetque contraria. Atque interioris actionis bonitas exterioris actionis bonitatem perinde perficit, ac formam materiam. Vt igitur ex materia, & forma vna quædam perfecta eſſentia, ſic ex interiore, & exteriore actione vnum quoddam integrum & abſolutum opus efficitur: & vt forma potior eſt, quàm materia; ſic bonitas interioris actionis potior eſt, quàm exterioris: ſique materia propter formam quæritur; etiam exterioris actionis bonitas propter interioris bonitatem quærenda eſt. Non igitur ſatis eſt bonam rem agere, ni bono animo agatur. Vnde philoſophi dicunt illum, qui depoſitum reddit, iuſtam quidem rem facere, non tamen iuſtè, ſi non recta mente & propoſito reddat: ſic etiam dicimus eum, qui eleemoſynam egenti dat, rem bonam agere; ſed, ſi illam propter inanem gloriam det, fieri malum, quod cæteroquin ex ſe bonum eſt. At verò res ex ſe mala non vlla voluntate fieri poteſt bona. Quæ enim voluntas foret vnquàm bona, ſi rem malam vellet? Idcircò monet B. Paulus non eſſe facienda mala, vt eueniant bona. Nec verò tantùm rem, quæ geritur, verùm etiam actionis conditiones, ſeu circumſtantias diligenter & accuratè conſiderabimus: à quibus actioni multum bonitatis, vt ab accidentibus naturali ſubſtantiæ multum virium, accedit, aut etiam recedit. Tanta enim eſt circumſtantiæ vis, vt quandoque facti ſpeciem immutet, ac tanquàm differentia quadam rem hanc ab illa ſecernat. exempli gratia, ſcelus eſt hominem occidi; ſed fas eſt propter iuſtitiam occidi. Concu-

Rom. 3.

bere cum muliere alterius vxore adulterium eſt; quæ ſi nullius ſit vxor, ſimplex fornicatio eſt. Ergo ex his tribus actio exterior bona exiſtit, nimirum ex ipſo rei genere laudabili, ex debitis circumſtantijs, ex bono fine. Horum trium ſi quod deſit, fit mala. Sed de ratione, quæ finem probat, & agendi modum præſcribit, ac ſine qua nulla virtus eſſe poteſt, dicendum vnde vim hanc habeat. Eſt in noſtris animis elucens quoddam lumen, quod à diuino lumine deriuatur. Hoc inſito in noſtris animis lumine communia quædam vt ſciendarum, ſic etiam agendarum rerum rata, & immutabilia principia cernimus: qualia ſunt hæc, Alijs benefaciendum; Nulli facienda iniuria; Educandi liberi; Honorandi parentes; Obſeruandi maiores; Suum cuiq; tribuendum; & his alia ſimilia: ad quæ ratio ſingulas actiones inſtituit. Proinde ad huiuſmodi principia, tanquàm certa præcepta, humanas actiones naturalis ratio dirigens, viuendi regulam tradit; & iubens facienda, & vetans non facienda lex eſt dependens ab æterna lege; cuius vim participat; cuique omnis naturæ motus ſubiectus eſt. Itaque lex naturalis eatenus bona eſt, quatenus eſt conformis æternæ, quæ eſt ipſa Dei voluntas; quæ niſi bonum non vult: ac voluntas noſtra eatenus bona eſt, quatenus bonam ſequitur rationem, per quam ad diuinam voluntatem componitur. Quòd autem inſit in nobis lex imperans bona, & prohibens mala non eſt homo, qui nón ſentiat. Idcircò

Rom.4. B. Paulus loquens de Gentibus, quæ res aliquas bonas faciunt, Oſtendunt, inquit, opus legis ſcriptum in cor-

Pſ.4. dibus ſuis. quam legem vocat Dauid diuini vultus ſignatum ſuper nos lumen. quod lumen generat in nobis quam Theologi verbo græco nominant Syndere-

ſim:

ſim: quæ in nobis ipſis probat, damnatue quod agimus; vnde conſcientiæ morſus oritur. Hoc lumen quoniam à malarum voluptatum cupiditate, quæ ob vitiatam naturam in nobis dominabatur, multis partibus obſcuratum fuerat, vnde prauam rationem peruerſa inſequebatur voluntas, Deus legem inſcripſit in tabulis, quam omnes cernerent: quæ quid homini ſequendum, quid fugiendum ſit ſancit. Itaque vim diuinæ legis & in nobis ſentimus, & notam in ſcripturis ſacris habemus. Nulla igitur res bona geri poteſt à nobis ſinè diuino lumine, & motu. Quamobrem Deum oramus, & obſecramus, vt noſtras actiones dirigat: quo in verbo finis, & recta ad finem via notatur. Finis, ſeu perfectio hominis eſt duplex, altera naturalis, altera ſupernaturalis. Perfectio naturalis eſt, quæ principijs naturæ conuenit, & noſtris viribus acquiri poteſt. Hæc eſt noſtri animi (nam præſtantiſſima in homine pars eſt animus) quantum natura humana fert, abſolutio: quæ quidem pro humanæ naturæ conditione rerum verarum cognitione, & bonarum appetitione continetur. Hanc perfectionem ante peccatum homo non difficulter, poſt peccatum imminutis, fractiſque viribus animi, perfectè conſequi nullo modo poteſt. Supernaturalis verò perfectio eſt, quæ nulla naturæ cauſa continetur, nullaq; vi hominis attingi poteſt, ſed Dei quodam ſingulari munere comparatur, diuina, inquàm, gratia, quam cæleſtis gloria conſequitur. Quamobrem humanæ actiones quædam bonæ ſunt bonitate naturali; quæ, inquàm, à naturali ratione ad naturalem perfectionem componuntur; quædam bonæ ſunt bonitate ſupernaturali, quæ ſcilicet à diuina gratia ad ſupernaturale bonum, æternamq; beatitudinem informantur.

Nos hac oratione diuinam gratiam rogamus, quæ noſtras actiones ad æternam felicitatem in Dei charitate dirigat. *dirige*] dirigere, inſtituere, ordinare eſt ad aliquem finem diſponere. nam ordo finem reſpicit. Finis, in quem omnes cogitationes, & actiones referre debemus, eſt ipſum ſummum bonum: quod ſinè dirigente, & adiuuante nos diuina gratia nullo modo contingere poſſumus. *actus noſtros*] actiones noſtras. Noſtræ ſunt actiones, quæ in noſtra poteſtate ſunt: in noſtra poteſtate ſunt, quæ ſunt voluntariæ: volũtariæ ſunt, quæ ſciẽter, & ſpontè ſuſcipiuntur, vt ſuprà diximus. *in beneplacito tuo*]
Rom.12 in voluntate tua (vt B. Pauli verbis vtar) bona, & beneplacente. Eſt enim beneplacitum Dei ipſa Dei voluntas probans aliquid fieri: quam Dei voluntatem vocant Theologi voluntatem beneplaciti. Etſi enim contra Dei voluntatem nihil fit, alioquin haud eſſet omnipotens; non tamen quicquid fit Deo placet, alioquin Deo etiam peccata placerent. Voluntas Dei non probans, ſed tantùm permittens aliquid fieri, dicitur ab iiſdem Theologis voluntas ſigni. Quamobrem dirigi noſtras actiones in beneplacito Dei eſt ſecundum Dei beneplaciti voluntatem inſtitui, hoc eſt dirigi in via recta, via, inquàm, diuinorum mandatorum, quæ ducit
Pſ.36. ad vitam: qua in via dirigi Propheta rogabat. Nonnulli fortè beneplacitum interpretabuntur Dei filium, in quo Deus pater placitum ſuum conſtituit; per quem videlicet noſtram redemptionem operatur, atque ſalutem. Sicq; interpretabimur *dirige actus noſtros in beneplacito tuo*], conforma noſtras actiones ſecundum gratiam, quam nobis per filium tuum confers. *vt mereamur in nomine filij tui dilecti abundare operibus bonis*] vt dignè pro filio tuo, ſeu pro gratia, quæ per filium tuum nobis datur,

vberes fructus feramus; vel vt mereamur propter filium tuum bonis operibus augeri, & (vt Beatus Paulus loquitur) diuites fieri in bonis operibus. Nomen eſt nota rei; ac ſæpè pro re ponitur, cuius eſt nota: & in ablatiuo caſu non raro ſignificat titulum, ſeu cauſam. Ergo *in nomine filij tui*] interpretaberis propter filium tuum. Filium Dei naturalem vnum eſſe ſuprà oſtendimus: qui quàm dilectus & charus ſit Deo patri ex hoc planè intelligimus, quòd eandem habet, quam pater eſſentiam. itaque filius in patre, & pater in filio eſt. quiſque autem ſe ipſum quàm maximè diligit. Opera ſunt actiones; quæ quandoque fructus, quandoque filij nominantur: quæ ſint autem bona opera, ſiue actiones bonæ iam explicuimus. Abundare bonis operibus eſt refertum eſſe bonis actionibus: abundatque bonis operibus, qui ſemper benè agit. Is ſemper benè agit, qui it de virtute in virtutem. Ac, ſi merito quodam augetur gratia, etiam bona opera merito aliquo augentur. qua de re alibi dicetur. Ergo ſi Deus corda noſtra ſua gratia mouet, ſi voluntates, & actiones noſtras informat, ſi in nobis operatur, vt ait Beatus Paulus, velle, & perficere; certè bona opera, quæ facimus, potiùs dicenda ſunt Dei, quàm noſtra. Rectèque Eſaias, Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine. Potenſque eſt Deus omnem gratiam abundare facere in nobis, vt in omnibus omnem ſufficientiam habentes, abundemus in omne opus bonum.

1.Tim.6

Domi. 1. Aduen.

Dom.24. poſt Pét.

Philip.2.

Cap. 26.

2.Cor.9.

DOMI-

DOMINICA PRIMA
poſt Epiphaniam.

ORATIO.

Vota, quæſumus, Domine ſupplicantis populi cæleſti pietate proſequere, vt & quæ agenda ſunt videant, et ad implenda quæ viderint conualeſcant: Per Dominum noſtrum, etc.

Deum quæſumus, vt humiliter precantium vota clementer excipiat; qui, quæ ſibi agenda ſint, cernant, & valentiores ad ea exequenda reddantur.

Natiuitatem Domini aptè ſequitur Epiphaniæ feſtus dies. Dicitur græcè Epiphania propter ſtellæ nunquàm antè in cælo viſæ conſpectum; ſiue (vt omnes loquuntur) apparitionem, à verbo appareo, quod eſt in conſpectu fieri: cæteroquin apparitio apud bonos latinos ſignificat actionem apparitoris: apparitor autem idem eſt, qui & ſatelles. Ducitur autem nomen græcum Epiphania ab ἐπὶ, quod eſt ſuprà, & φαίνεσθαι, quod eſt apparere. Congruenterq; Epiphania cum natiuitate Domini coniungitur; quia nobis eius natiuitas nihil pro-

fuiſſet,

fuiſſet, ſi in tenebris & in occulto loco latuiſſet. Sed & eodem ferè tempore manifeſtata eſt omnibus hominibus Iudæis, & Gentibus; quia venit omnes homines ſaluos facere: Iudæis quidem manifeſtata eſt ab Angelo, cùm ipſam è cælo paſtoribus annunciauit; Gentibus verò à ſtella, cùm Magos duxit ad præſepe, in quo infans iacebat. Tunc temporis enim omnium hominum multitudo ex Iudæis, & Gentibus conſtabat: illoſque ab his circumciſio præcipuè diſtinguebat: vnde Iudæi vocabantur circumciſio, Gentes verò præputium. Atque hoc tempus, quod ab Epiphania vſque ad Septuageſimam eſt, vocatur tempus reuocationis: quo ab exilio reuocamur ad ſuperiorem Bethlehem noſtram patriam, per virtutum nos viam ſtella, nimirum cæleſti gratia, deducente. Quamobrem hac die Dominica, quæ prima eſt poſt Epiphaniam, Deum precamur, vt noſtris votis annuens & lumen præferat, quo, quæ nobis agenda ſunt, videamus, & opem afferat, qua valentiores ad ipſa exequenda euadamus. *proſequere vota populi ſupplicantis pietate cæleſti*] proſequi eſt comitari, & inſequi: at proſequi vota cæleſti pietate eſt diuina clementia vota excipere atq; complecti, nempe liberaliter concedere quod optatur. *vota*] votum propriè eſt alicuius rei ſponſio, qua nos Deo propter aliquod beneficium, ſi illud obtinuerimus, obligamus: interdum tamen pro re optata ponitur, pro qua Deo aliquid promittimus: interdum etiam ponitur pro precibus, quas ad rem aliquam impetrandam adhibemus. ex quo vouere eſt Deum orare. *populi*] populus eſt multitudo hominum iiſdem legibus, & moribus vtentium. Populus, qui ritè verum Deum colit, & piè illi ſupplicat, eſt Chriſtianus. *ſupplicantis*] ſupplici oratione precantis. *pietate*]

pietas, dum eſt ſuperiorum erga inferiores, benignitatem & miſericordiam; cùm vero eſt inferiorum erga ſuperiores, obſeruantiam & venerationem ſignificat, vt alibi dicemus. hoc loco, nam eſt Dei erga nos, ſignificat benignitatem atque clementiam. *cæleſti*] cæleſtis idem eſt, quod diuina. ſed huius nominis vim infrà explicabimus. Quæ autem populus Chriſtianus à Deo ſupplex oret, verbis, quæ ſequuntur, exprimitur: *vt & videant quæ agenda ſunt*] ratio naturalis non poteſt à ſe cognoſcere quæ ſint homini propter æternam vitam agenda. quare nec poteſt illa præſcribere. ſed opus eſt (vt ſuprà diximus) lumine ſupernaturali, videlicet diuina gratia. Hoc lumen à Deo prætendi nobis optamus, vt cernamus quæ propter æternam vitam præſtare debemus. Sed quia ſatis non eſt ad conſequendam æternam gloriam videre quæ ſunt eius gratia facienda, verùm etiam oportet illa exequi; nos autem à nobis maximè ob malarum voluptatum cupiditatem, fomitemue peccati debiles & imbecilles ad illa obeunda ſumus; præter lumen gratiæ precamur etiam virtutem, ſiue auxilium, quo ad illa proſequenda roboremur. *& conualeſcant*] valentiores fiant à diuino auxilio *ad* ea *implenda*] ſeu perficienda, *quæ viderint*] ſeu cognouerint eſſe facienda. Videre animi eſt cognoſcere, ſiue intelligere: ſed res diuinas, quæ noſtram intelligentiam vincunt, non poteſt quis videre, ſi fidei lumine illuſtratus non fuerit; nec niti ad illarum adeptionem, ſi non charitate roboretur. Fides ſinè charitate inanis eſt; charitas fidem informat. Vtraque igitur nobis ad ſalutem neceſſaria eſt, fides, qua cernamus agenda; charitas, qua illa impleamus.

Domi. 6. poſt Pét.

Domi. 2. poſt Epiphaniã.

Dom. intra Oct. Natiuit.

DOMI-

DOMINICA SECVNDA
poſt Epiphaniam.

ORATIO.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui cæleſtia, ſimul & terrena moderaris, ſupplicationes populi tui clementer exaudi; & pacem tuam noſtris concede temporibus.

Optamus à Deo totius mundi gubernatore preces noſtras clementer audiri, & pacem in diebus noſtri dari.

Hanc orationem B. Gregorius Pontifex Maximus dicitur compoſuiſſe, vel illa verba *& pacem tuam noſtris concede temporibus* addidiſſe; quoniam pacem hoc die cum omnibus aduerſarijs Eccleſiæ feciſſet. Petituri à Deo pacem non ſolùm ab omnipotentia, & æternitate, verùm etiam à prouidentia ipſum laudamus: & quidem rectè; quoniam eius eſt diſcrepantes inter ſe animos conciliare, cuius eſt differentes inter ſe res vnà regere & moderari. Quòd verò Deus omnia regat cæleſtia & terreſtria, æterna & caduca, tum nomen ipſum oſtendit, tum ſacra ſcriptura teſtatur, tum etiam ratio docet. Nam hoc nomen Deus (vt alibi notauimus) eſt præſtantiſſimæ cuiuſdam omnia mouentis, regen- *Dom. intra Oct. Natiuit.*

1.Tim.6 immutabilis, & æternus à ſe eſt, ſolus (vt B.Paulus aſſerit) habet immortalitatem. Sed exponendum eſt quomodo æternitatem illam, ſiue interminatam diuinæ eſſentiæ durationem, in qua neq; præteritum, neq; futurum eſt, ſed tanquàm habentem præteritum, & futurum animo concipiamus. Duratio à verbo duro, quod idem ſignificat, quod verbum permaneo, (ſiquidem hoc nomine Theologi ad declarandam vitæ breuitatem, aut longitudinem vtuntur) notat rei permanſionem cadentem ſub menſuram temporis: qua quod menſuratur eſt quantum, ac deinceps diuiduum, neq; ipſa finitum; quia infinitum menſurari nequit. Cùm autem tempore menſuremus res mobiles, habentes partes alias alijs ſuccedentes; quippe tempus eſt menſura motus corporis ſecundum partem aliam poſt aliam moti; duratio diuinæ eſſentiæ, quæ infinita, ſimplex, ac tota ſimul, & ſemper eadem eſt, non poteſt vlla temporis definiri, deſcribiq; menſura: quandoquidem nullas partes habet, nullamq; mobilem ſucceſſionem partium. Sed tamen nos ipſam metimur eo modo, quo ſolemus metiri corporearum rerum durationem, humana transferentes ad diuina, vt innato, & conſueto nobis intelligendi modo res cæleſtes percipiamus. Quarè æternitatem, hoc eſt diuinæ eſſentiæ infinitam, immobilemq; durationem, tanquàm per omnia extenſam tempora, ſimul tribus temporibus præterito, præſente, & futuro deſignamus; ſed cuius præteritum non habuit initium, nec futurum habebit finem. Itemq; ſacri vates æternitatem interdum vocant diem, quæ neque ortum, neque occaſum habet. Pro intelligentiæ noſtræ igitur captu æternum vocamus, quod infinito tempore durat. Quare Deus æternus,

nus, ſiue ſempiternus eſt, quia ſemper fuit, eſt, & erit: quibus verbis in ſcripturis ſacris ſæpè deſcribitur. Iam orationis verba interpretemur. *Dirige actus noſtros in beneplacito tuo*,] inſtitue noſtras actiones ſecundum voluntatem tuam, ſic enim bonæ erunt. Sed quò meliùs hæc verba percipiantur, explicemus quid actio, quæ noſtra actio, quæ noſtra actio bona ſit. Actio, ſiue actus eſt opus, quod ex aliqua potentia, ſeu virtute animæ prouenit. Potentiæ, ſeu virtutes animæ plures ſunt. Sunt enim nutriendi, augendi, & generandi virtutes: ſunt etiam virtutes ſentiendi quæ intra, & extra corpus ſunt, vt ſenſus exteriores quinque omnibus noti, & interiores tres, ſcilicet communis ſenſus, phantaſia, & memoria: eſt quoque vis appetendi, & vis repellendi ea, quæ à ſenſibus tanquàm amica & inimica proponuntur, ira, inquàm, & cupiditas, ſiue iraſcibilis, & concupiſcibilis: eſt poſtremò vis intelligendi, & volendi id, quod vt bonum ab intelligentia proponitur. Igitur quæ ex his animæ potentijs opera prodeunt, vt generare, cernere, cogitare, cupere, iraſci, intelligere, velle actiones vocantur. Et quamuis omnes hæ actiones hominis ſint, non ſunt tamen omnes humanæ, ſed eæ, quæ voluntariæ ſunt. Sunt autem voluntariæ, quæ ex electione ſunt. Atque hoc eſt, quod ſecundo loco docere propoſuimus, nimirum quæ actio ſit noſtra. Noſtra ſanè eſt actio, quæ voluntaria eſt, quæque humana, & moralis vocatur: humana quidem, quoniam à ratione, quæ eſt hominis forma, inſtituitur; moralis verò à moribus, qui (vt alibi docebimus) ſunt affectiones animi modum capientes à ratione. Porrò vt voluntaria ſit actio, primùm oportet eius principium in nobis ineſſe; deinde naturam eius à nobis cognoſci, & finem,

Apoc. 1.

Dom. in Albis.

finem, cuius gratia ſuſcipitur; poſtremò liberum eſſe nobis ipſam accipere, aut relinquere. Quæ libertas eſt voluntatis, quæ ſui iuris eſt: verùm quòd ad hanc, vel illam rem ſe applicet, à ratione habet: ſiquidem ratio diuerſas boni formas ante voluntatem ponit, quarum quæque ipſam ſua ſpecie ad ſe allicit. Proinde humanarum, ſeu voluntariarum actionum principium in ratione & voluntate conſiſtit. Rationem ad indagandum, & perſpiciendum verum, quòd eius cognitio non ſolùm ad intelligentiæ, ſed ad vniuerſam quoque hominis perfectionem faciat; voluntas mouet princeps, & omnium potentiarum animæ regina, quæ totius hominis integritati, & abſolutioni proſpicit. deinde ratio voluntati tanquàm conſultrix proponit bonum, quod appetendum cernit. poſt tandem voluntas liberè ſeſe appellit ad bonum, quod ſibi propoſitum eſt, atque arridet. Itaque in quo eſt ratio, in eodem etiam eſt voluntas: nec voluntas vlla eſt ſine ratione. Quarè brutorum animantium, quia rationis expertia ſunt, actionum principium licet inſitum in ipſis ſit, tamen non in ipſorum poteſtate, ſed in naturæ, quò reguntur, imperio poſitum eſt. Igitur quæ voluntariæ ſunt actiones, hæ noſtræ ſunt; quia in noſtra poteſtate ſunt: quas nimirum nos ipſi à nobis ſcienter, & vltro ſuſcipimus. alioquin ſi vel iuſtam habens excuſationem ignorantia nos inducat, vel vlla vis extrinſecus illata cogat aliud, quàm volumus, facere, non eſt voluntarium quod facimus. Hoc voluntarium, quod eſt ab electione, quam Ariſtoteles appetitum intelligentem, aut intellectum appetentem finit, quodq; græci à conſilio βούλησιν appellant, non modò in brutis animantibus non eſt, ſed ne in pueris quidem, cùm adhuc

nulla

nulla ratione vtantur; ſed eſt illud, quod græci ἑκούσιον vocant; latinorum quidam vertunt ſpontaneum; quoniam ſponte quadam aguntur, non ratione ducti, ſed inſtinctu quodam naturali, vel ſenſus impulſione commoti. Quod porrò nomen ſpontaneum quidam vt barbarum reſpuunt, ſed eſt ad notandas rerum differentias neceſſarium. Neque ſolùm actiones, quæ à voluntate proficiſcuntur, voluntariæ ſunt, verùm etiam quæ à voluntate per rationem alijs potentijs imperantur. Etenim vis animæ, quæ reliquas vires ad ſuum quanque munus impellit, eſt (vt modò diximus) voluntas: impellit autem per rationem vim quanque animæ ad conuenientes ordinantem, & inſtruentem actiones. Vna vigendi virtus, ſiue potentia; quia nullam neque ſenſus, neque rationis capit cognitionem, nullum voluntatis, & rationis ſentit imperium: at iraſcendi, & cupiendi potentiæ, quæ cogitatione (voco hic cogitationem, quam permulti vocant imaginationem rerum ſingularum atque ſenſilium) cientur, quam ratio, quæ rerum vniuerſarum eſt, tanquàm cauſa ſuperior regit; poſſunt rationi, & voluntati parere; quia poſſunt cogitationem, quam informat ratio, ſequi. Hoc igitur pacto iſtarum potentiarum actiones ſunt voluntariæ. Et voluntariarum actionum aliæ ſunt interiores, quæ nimirum ipſius voluntatis propriæ ſunt, in ipſa manentes voluntate; aliæ ſunt exteriores, quæ ex alijs potentijs per certa corporis membra ipſarum potentiarum inſtrumenta, quæ græci organa vocant, non ſinè voluntatis, rationiſq; conſenſu extrà proueniunt. Quæ actiones tales equidem ſunt, qualis eſt ipſarum domina voluntas. Nam vt voluntas vel bona, vel mala eſt, ſic actiones, quarum cau-

ſa

ſa eſt voluntas, probitatē, & prauitate veluti quibuſdam differentijs inter ſe diſtinguuntur. non dixi malitiam, ſed prauitatem: quia malitia non omni virtuti, ſed tantùm prudentiæ opponitur, quippe verſutiam, aut calliditatem notat; prauitas verò totius animi malam affectionem, ſicut bonam probitas, ſignificat. Videndum eſt igitur, quod tertio loco ſpectandum propoſuimus, quæ noſtrarum actionum bona, quæ mala ſit. Eſt bona, quæ à bona voluntate; mala verò, quæ à mala voluntate eſt. Bona voluntas eſt, quæ vult bonum; mala verò, quæ vult malum. Bonum eſt, quod ſecundum rationem eſt; quod contra rationem eſt, malum eſt: Ergo bonitas voluntatis à ratione eſt, non à rerum ſenſilium cogitatione, quæ facilimè decipitur. Quam ſi contingat ad voluntatem aliquid deferre, tanquàm bonum & appetendum, quod re vera malum ſit, ſi ad illud voluntas boni ſpecie decepta, & ab inferiore appetitu inuitata ſinè conſilio rationis inclinat, corrumpitur. At ratio, quam ſuperior quædam, & diuina vis regit, voluntati quod verè bonum eſt proponit. Hoc, quod à ratione voluntati tanquàm aptum & conueniens offertur, latini philoſophi vocant obiectum; vocant etiam finem, videlicet in quem, tanquàm in terminum quendam, ſiue ſcopum ſe ſe, ac vim ſuam voluntas intendit. Et quia finis, vt proxima cauſa mouens, & afficiens voluntatem, ipſam ſibi ſimilem reddit, ideò qualis eſt finis, talis eſt voluntas: ac qualis eſt voluntas, talis etiam eſt actio, quæ à voluntate exoritur. Et voluntatis interior actio bonitatem capit à fine; ſed exterior actio bonitatem capit non ſolùm à fine, verùm etiam à re, quæ tractatur: quam noſtri Philoſophi nunc materiam, circa quam, nunc

obiectum,

obiectum, circa quod, vocant: à quo ſanè actio nomen, ſpeciemque ſortitur. Quæ autem res benè, aut malè agatur, eadem ratio docet, quæ finem probat. Ipſa enim eſt inſita in homine lex, quæ iubet facienda, prohibetque contraria. Atque interioris actionis bonitas exterioris actionis bonitatem perinde perficit, ac forma materiam. Vt igitur ex materia, & forma vna quædam perfecta eſſentia, ſic ex interiore, & exteriore actione vnum quoddam integrum & abſolutum opus efficitur: & vt forma potior eſt, quàm materia; ſic bonitas interioris actionis potior eſt, quàm exterioris: ſicque materia propter formam quæritur; etiam exterioris actionis bonitas propter interioris bonitatem quærenda eſt. Non igitur ſatis eſt bonam rem agere, ni bono animo agatur. Vnde philoſophi dicunt illum, qui depoſitum reddit, iuſtam quidem rem facere, non tamen iuſtè, ſi non recta mente & propoſito reddat: ſic etiam dicimus eum, qui eleemoſynam egenti dat, rem bonam agere; ſed, ſi illam propter inanem gloriam det, fieri malum, quod cæteroquin ex ſe bonum eſt. At verò res ex ſe mala non vlla voluntate fieri poteſt bona. Quæ enim voluntas foret vnquàm bona, ſi rem malam vellet? Idcircò monet B. Paulus non eſſe facienda mala, vt eueniant bona. Nec verò tantùm rem, quæ geritur, verùm etiam actionis conditiones, ſeu circumſtantias diligenter & accuratè conſiderabimus: à quibus actioni multum bonitatis, vt ab accidentibus naturali ſubſtantiæ multum virium, accedit, aut etiam recedit. Tanta enim eſt circumſtantiæ vis, vt quandoque facti ſpeciem immutet, ac tanquàm differentia quadam rem hanc ab illa ſecernat. exempli gratia, ſcelus eſt hominem occidi; ſed fas eſt propter iuſtitiam occidi. Concu- *Rom. 3.*

bere cum muliere alterius vxore adulterium eſt; quæ ſi nullius ſit vxor, ſimplex fornicatio eſt. Ergo ex his tribus actio exterior bona exiſtit, nimirum ex ipſo rei genere laudabili, ex debitis circumſtantijs, ex bono fine. Horum trium ſi quod deſit, fit mala. Sed de ratione, quæ finem probat, & agendi modum præſcribit, ac ſine qua nulla virtus eſſe poteſt, dicendum vnde vim hanc habeat. Eſt in noſtris animis elucens quoddam lumen, quod à diuino lumine deriuatur. Hoc inſito in noſtris animis lumine communia quædam vt ſciendarum, ſic etiam agendarum rerum rata, & immutabilia principia cernimus: qualia ſunt hæc, Alijs benefaciendum; Nulli facienda iniuria; Educandi liberi; Honorandi parentes; Obſeruandi maiores; Suum cuiq; tribuendum; & his alia ſimilia: ad quæ ratio ſingulas actiones inſtituit. Proinde ad huiuſmodi principia, tanquàm certa præcepta, humanas actiones naturalis ratio dirigens, viuendi regulam tradit: & iubens facienda, & vetans non facienda lex eſt dependens ab æterna lege; cuius vim participat; cuique omnis naturæ motus ſubiectus eſt. Itaque lex naturalis eatenus bona eſt, quatenus eſt conformis æternæ, quæ eſt ipſa Dei voluntas; quæ niſi bonum non vult: ac voluntas noſtra eatenus bona eſt, quatenus bonam ſequitur rationem, per quam ad diuinam voluntatem componitur. Quòd autem inſit in nobis lex imperans bona, & prohibens mala non eſt homo, qui nón ſentiat. Idcircò
Rom. 4. B. Paulus loquens de Gentibus, quæ res aliquas bonas faciunt, Oſtendunt, inquit, opus legis ſcriptum in cor
Pſ. 4. dibus ſuis. quam legem vocat Dauid diuini vultus ſignatum ſuper nos lumen. quod lumen generat in nobis quam Theologi verbo græco nominant Synderæſim:

ſim: quæ in nobis ipſis probat, damnatue quod agimus; vnde conſcientiæ morſus oritur. Hoc lumen quoniam à malarum voluptatum cupiditate, quæ ob vitiatam naturam in nobis dominabatur, multis partibus obſcuratum fuerat, vnde prauam rationem peruerſa inſequebatur voluntas, Deus legem inſcripſit in tabulis, quam omnes cernerent: quæ quid homini ſequendum, quid fugiendum ſit ſancit. Itaque vim diuinæ legis & in nobis ſentimus, & notam in ſcripturis ſacris habemus. Nulla igitur res bona geri poteſt à nobis ſinè diuino lumine, & motu. Quamobrem Deum oramus, & obſecramus, vt noſtras actiones dirigat: quo in verbo finis, & recta ad finem via notatur. Finis, ſeu perfectio hominis eſt duplex, altera naturalis, altera ſupernaturalis. Perfectio naturalis eſt, quæ principijs naturæ conuenit, & noſtris viribus acquiri poteſt. Hæc eſt noſtri animi (nam præſtantiſſima in homine pars eſt animus) quantum natura humana fert, abſolutio: quæ quidem pro humanæ naturæ conditione rerum verarum cognitione, & bonarum appetitione continetur. Hanc perfectionem antè peccatum homo non difficulter, poſt peccatum imminutis, fractiſque viribus animi, perfectè conſequi nullo modo poteſt. Supernaturalis verò perfectio eſt, quæ nulla naturæ cauſa continetur, nullaq; vi hominis attingi poteſt, ſed Dei quodam ſingulari munere comparatur, diuina, inquàm, gratia, quam cæleſtis gloria conſequitur. Quamobrem humanæ actiones quædam bonæ ſunt bonitate naturali, quæ, inquàm, à naturali ratione ad naturalem perfectionem componuntur; quædam bonæ ſunt bonitate ſupernaturali, quæ ſcilicet à diuina gratia ad ſupernaturale bonum, æternamq; beatitudinem informantur.

Nos hac oratione diuinam gratiam rogamus, quæ noſtras actiones ad æternam felicitatem in Dei charitate dirigat. *dirige*] dirigere, inſtituere, ordinare eſt ad aliquem finem diſponere. nam ordo finem reſpicit. Finis, in quem omnes cogitationes, & actiones referre debemus, eſt ipſum ſummum bonum: quod ſinè dirigente, & adiuuante nos diuina gratia nullo modo contingere poſſumus *actus noſtros*] actiones noſtras. Noſtræ ſunt actiones, quæ in noſtra poteſtate ſunt: in noſtra poteſtate ſunt, quæ ſunt voluntariæ: volũtariæ ſunt, quæ ſciẽter, & ſpontè ſuſcipiuntur, vt ſuprà diximus. *in beneplacito tuo*]
Rom. 12 in voluntate tua (vt B. Pauli verbis vtar) bona, & beneplacente. Eſt enim beneplacitum Dei ipſa Dei voluntas probans aliquid fieri: quam Dei voluntatem vocant Theologi voluntatem beneplaciti. Etſi enim contra Dei voluntatem nihil fit, alioquin haud eſſet omnipotens; non tamen quicquid fit Deo placet, alioquin Deo etiam peccata placerent. Voluntas Dei non probans, ſed tantùm permittens aliquid fieri, dicitur ab iiſdem Theologis voluntas ſigni. Quamobrem dirigi noſtras actiones in beneplacito Dei eſt ſecundum Dei beneplaciti voluntatem inſtitui, hoc eſt dirigi in via recta, via, inquàm, diuinorum mandatorum, quæ ducit
Pſ. 36. ad vitam: qua in via dirigi Propheta rogabat. Nonnulli fortè beneplacitum interpretabuntur Dei filium, in quo Deus pater placitum ſuum conſtituit; per quem videlicet noſtram redemptionem operatur, atque ſalutem. Sicq; interpretabimur *dirige actus noſtros in beneplacito tuo*], conforma noſtras actiones ſecundum gratiam, quam nobis per filium tuum confers. *vt mereamur in nomine filij tui dilecti abundare operibus bonis*] vt dignè pro filio tuo, ſeu pro gratia, quæ per filium tuum nobis datur,

vberes fructus feramus ; vel vt mereamur propter filium tuum bonis operibus augeri, & (vt Beatus Paulus loquitur) diuites fieri in bonis operibus. Nomen eſt nota rei, ac ſæpè pro re ponitur, cuius eſt nota : & in ablatiuo caſu non rarò ſignificat titulum, ſeu cauſam. Ergo *in nomine filij tui*] interpretaberis propter filium tuum. Filium Dei naturalem vnum eſſe ſuprà oſtendimus : qui quàm dilectus & charus ſit Deo patri ex hoc planè intelligimus, quòd eandem habet, quam pater eſſentiam : itaque filius in patre, & pater in filio eſt. quiſque autem ſe ipſum quàm maximè diligit. Opera ſunt actiones ; quæ quandoque fructus, quandoque filij nominantur : quæ ſint autem bona opera, ſiue actiones bonæ iam explicuimus. Abundare bonis operibus eſt refertum eſſe bonis actionibus : abundatque bonis operibus, qui ſemper benè agit. Is ſemper benè agit, qui it de virtute in virtutem. Ac, ſi merito quodam augetur gratia, etiam bona opera merito aliquo augentur. qua de re alibi dicetur. Ergo ſi Deus corda noſtra ſua gratia mouet, ſi voluntates, & actiones noſtras informat, ſi in nobis operatur, vt ait Beatus Paulus, velle, & perficere, certè bona opera, quæ facimus, potiùs dicenda ſunt Dei, quàm noſtra. Rectèque Eſaias, Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine. Potenſque eſt Deus omnem gratiam abundare facere in nobis, vt in omnibus omnem ſufficientiam habentes, abundemus in omne opus bonum.

1.Tim.6 *Domi. 1. Aduen.* *Dom.24. poſt Pen.* *Philip.2.* *Cap. 26.* *2.Cor.9.*

DOMI-

DOMINICA PRIMA
poſt Epiphaniam.

ORATIO.

Vota, quæſumus, Domine ſupplicantis populi cæleſti pietate proſequere, vt & quæ agenda ſunt videant, et ad implenda quæ viderint conualeſcant: Per Dominum noſtrum, etc.

Deum quæſumus, vt humiliter precantium vota clementer excipiat; qui, quæ ſibi agenda ſint, cernant, & valentiores ad ea exequenda reddantur.

Natiuitatem Domini aptè ſequitur Epiphaniæ feſtus dies. Dicitur græcè Epiphania propter ſtellæ nunquàm antè in cælo viſæ conſpectum, ſiue (vt omnes loquuntur) apparitionem, à verbo appareo, quod eſt in conſpectu fieri: cæteroquin apparitio apud bonos latinos ſignificat actionem apparitoris: apparitor autem idem eſt, qui & ſatelles. Ducitur autem nomen græcum Epiphania ab ἐπὶ, quod eſt ſuprà, & φαίνεσθαι, quod eſt apparere. Congruenterq; Epiphania cum natiuitate Domini coniungitur; quia nobis eius natiuitas nihil profuiſſet,

fuiſſet, ſi in tenebris & in occulto loco latuiſſet. Sed & eodem ferè tempore manifeſtata eſt omnibus hominibus Iudæis, & Gentibus; quia venit omnes homines ſaluos facere: Iudæis quidem manifeſtata eſt ab Angelo, cùm ipſam è cælo paſtoribus annunciauit; Gentibus verò à ſtella, cùm Magos duxit ad præſepe, in quo infans iacebat. Tunc temporis enim omnium hominum multitudo ex Iudæis, & Gentibus conſtabat: illoſque ab his circumciſio præcipuè diſtinguebat: vnde Iudæi vocabantur circumciſio, Gentes verò præputium. Atque hoc tempus, quod ab Epiphania vſque ad Septuageſimam eſt, vocatur tempus reuocationis: quo ab exilio reuocamur ad ſuperiorem Bethlehem noſtram patriam, per virtutum nos viam ſtella, nimirum cæleſti gratia, deducente. Quamobrem hac die Dominica, quæ prima eſt poſt Epiphaniam, Deum precamur, vt noſtris votis annuens & lumen præferat, quo, quæ nobis agenda ſunt, videamus, & opem afferat, qua valentiores ad ipſa exequenda euadamus. *proſequere vota populi ſupplicantis pietate cæleſti*] proſequi eſt comitari, & inſequi: at proſequi vota cæleſti pietate eſt diuina clementia vota excipere atq; complecti, nempe liberaliter concedere quod optatur. *vota*] votum propriè eſt alicuius rei ſponſio, qua nos Deo propter aliquod beneficium, ſi illud obtinuerimus, obligamus: interdum tamen pro re optata ponitur, pro qua Deo aliquid promittimus: interdum etiam ponitur pro precibus, quas ad rem aliquam impetrandam adhibemus. ex quo vouere eſt Deum orare. *populi*] populus eſt multitudo hominum iiſdem legibus, & moribus vtentium. Populus, qui ritè verum Deum colit, & piè illi ſupplicat, eſt Chriſtianus. *ſupplicantis*] ſupplici oratione precantis. *pietate*] pietas,

DOMINICA SECVNDA
poſt Epiphaniam.

ORATIO.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui cæleſtia, ſimul & terrena moderaris, ſupplicationes populi tui clementer exaudi; & pacem tuam noſtris concede temporibus.

Optamus à Deo totius mundi gubernatore preces noſtras clementer audiri, & pacem in diebus noſtri dari.

Hanc orationem B. Gregorius Pontifex Maximus dicitur compoſuiſſe, vel illa verba *& pacem tuam noſtris concede temporibus* addidiſſe; quoniam pacem hoc die cum omnibus aduerſarijs Eccleſiæ feciſſet. Petituri à Deo pacem non ſolùm ab omnipotentia, & æternitate, verùm etiam à prouidentia ipſum laudamus: & quidem rectè; quoniam eius eſt diſcrepantes inter ſe animos conciliare, cuius eſt differentes inter ſe res vnà regere & moderari. Quòd verò Deus omnia regat cæleſtia & terreſtria, æterna & caduca, tum nomen ipſum oſtendit, tum ſacra ſcriptura teſtatur, tum etiam ratio docet. Nam hoc nomen Deus (vt alibi notauimus) *Dom. infra Oct. Natiuit.* eſt præſtantiſſimæ cuiuſdam omnia mouentis, regentiſq;

Cap. 14. tiſque naturæ: & in Sapientiæ libro legimus, Tu autem pater gubernas omnia prouidendo; & in libro
Cap. 13. Eſther, In ditione tua cuncta ſunt poſita. Etenim ſi eius eſt gubernare, cuius eſt procreare, certè qui vnus omnium pater eſt Deus, ipſe vnus cuncta miniſtrat. Tum ſi Deus, quoniam omnipotens eſt, poteſt omnia facere, quæ vult; & nihil temerè, qui ſapientiſſimus eſt, facit; profectò nihil deſpicit eorum, quæ fecit.
Sap. 11. Omnibus igitur proſpicit. Hoc autem eſt regere & gubernare. At quæres cur alia æterna, alia caduca, alia ſuperiora, alia fecit inferiora? nimirum propter ornatum vniuerſi, & ſuam dignitatem. Nam ad regis dignitatem ſpectat plures diſtinctos, & ordinatos habere miniſtros, per quos ſua opera exequatur. Proinde mirum videri non debet, ſi aliquando præter miniſtrorum rationem aliquid euenit. Quod quidem fit, vt intelligas ipſos non eſſe rerum vniuerſitatis principes, ſed Deum: præter cuius voluntatem nil vnquàm accidit. Nec parum ad ornatum vniuerſi faciunt differentes inter ſe, verùm temperatione quadam concordes naturæ: quo in ornatu mundus rerum multarum varietate diſtinguitur. Et ne rerum caducarum diſſolutio integritatem vniuerſi minueret, fecit Deus ipſarum materiam primam ex ſe quidem informem, ſed omnium formarum naturalium capacem aliarum poſt alias, ita vt nihil vnquàm penitus intereat, ſed tantummodò materia varias formas viciſſim exuat, induatque: vnde vnius interitum alterius rei ortus conſequitur. Sic vario rerum ortu, & occaſu mundi facies exornatur, & conſeruatur integritas. Quapropter rerum diſſolutiones licet ſint contra formarum, quæ diſſolui nolunt, appetitionem, non ſunt tamen contra materiæ primæ ap-

petitum, quæ ſemper alias, & alias formas appetit: neque contra diuini numinis rationem; vt continuato rerum ſingularum ortu ipſarum ſpecies conſeruentur. Sed vniuerſam omnium rerum adminiſtrationem intuere; conſpicies non niſi ab vna ſapientiſſima, præſtantiſſimaque natura res vniuerſas regi. Quis enim poteſt vlla cogitatione comprehendere quanta moderatione quatuor hæc, quæ inter ſe maximè diſſident, corporea elementa ſocientur, & ſociata contineantur? Quis rationem illam percipiet, quæ cælorum differentes conuerſiones ita temperat, vt (quemadmodum Pythagoras, & Plato exiſtimarunt) apta grauium & acutorum compoſitione ſonorum admirabilem harmoniam efficiat? Quis quanto conſilio & prudentia ſecum ima, & ſumma cohæreant vlla vnquàm poterit intelligentia comprehendere? Nullo certe pacto mundus conſtaret, ac ſecum ipſe conſentiens eſſet, ſi non ab vno, eodemq; rectore ſuperiora, & inferiora gubernarentur. Si differentes eſſent mundi rectores, vnus rerum ordo non eſſet, neque vnus finis: vnde ſequi perturbationem aliquam oporteret. atqui vniuerſitatis ordo ſemper idem, & conſtans eſt. Atque ex hoc, quòd Deus regit vniuerſa, vniuerſorum creator eſſe probatur. Non enim omnibus naturis dominaretur, eaſque pro ſuo arbitratu moueret, ni per omnes naturas peruaderet. nullo autem modo peruaderet, & ad nutum ſibi obedientes redderet, ni illas ipſe creaſſet. Nec ignoro fuiſſe quoſdam philoſophos, qui negarunt à Deo mundum adminiſtrari: inter quos Epicurei. Horum ratio hæc erat, quòd Deus in tanto negocio defatigatus labori ſuccumberet; ac ſimul priuaretur ſummis lætitijs, curis infinitis implicitus, quas gigneret tanti operis gu-

bernatio. Sed minimè defatigari poteſt, qui eſt omnis corporeæ concretionis expers: neque animo laborat, qui quod vult intelligit; & vult quod intelligit; & eius, quod vult, & intelligit, poteſtas in ipſo eſt. Neq; enim diuina gubernatio aliud eſt, quàm eius ſapientiſſima; æternaq; voluntas. Porrò ſi creando mundo nihil laborauit, nec vtique gubernando laborabit. Sed Peripateticorum aliqui Deum conſilio priuant, quem volunt ea, quæ facit, naturali quadam neceſſitate, non ratione facere. itaque prouidentiam omnem illi adimunt. Verùm ſi nulla Deus vtitur ratione, certè neque vllam habet voluntatem. quo quid dici poteſt abſurdius? Nonnulli, vt Auerroes, dant Deum cæleſtia, & ſuperiora curare, non autem hæc terreſtria, & inferiora: quòd diuinam maieſtatem imminueret, ſi curam vllam his fragilibus & caducis rebus adhiberet. Non imminuit creando, neque imminuet gubernando. Mouet omnia ipſe immobilis: quippe motionis omnis oportet vnum eſſe immobile principium. id quod ipſemet Auerroes non audebit negare. & non reget omnia? ni fortè mouere non eſt idem, quod regere & gubernare. An fortè minùs ordinatæ tibi videntur res imæ, quàm ſummæ, & minimæ, quàm maximæ? Nos cum
Sap. 12. Salomone dicamus, Non eſt alius Deus, quàm tu, cui cura eſt de omnibus. *qui moderaris*] moderari eſt temperare, ac certa ratione gubernare, differenteſque res inter ſe apto quodam modo coniungere, & continere. *cæleſtia ſimul & terrena*] Corpus hoc magnum, quod mundus vocatur, duabus partibus conſtat, vna ſuperiore, quæ æterna, & immutabilis eſt, vocaturque cælum; altera inferiore, quæ caduca, & mutabilis eſt, vocaturq; terra. Nec ſolùm orbes aſtrorum, verùm etiam mentes

tes diuinæ in ſcripturis ſacris cæli vocantur. Hinc cæleſte nuncupatur non ſolùm quod ad orbes cælorum, verùm etiam quicquid ad Deum, diuinaſque mentes pertinet. Terræ quoque nomine non ſolùm ipſum infimum elementum, verùm etiam quicquid ſub lunari orbe eſt fragile & caducum notatur. Iam quicquid vſquàm eſt vel eſt cæleſte, vel terreſtre, vel æternum, vel caducum. Cùm igitur Deus omnia moderetur, profectò ſimul & cæleſtia & terreſtria moderatur. *clementer exaudi*] pijs, & benignis auribus accipe *ſupplicationes*] ſupplicatio latinè eſt gratulatio & honor, qui pro aliqua victoria immortali Deo habetur. Theologis eſt idem, quod humilis precatio à verbo ſupplicare, quod eſt humiliter precari. Ergo *ſupplicationes*] interpretaberis humiles preces: ni velis nomine ſupplicationis notari gratulationem, quam B. Gregorius tunc pro pace facta Eccleſiæ haberi diuinæ clementiæ voluit. An quæres quo modo rogat pacem, ſi facta pax eſt? dicam rogare diuturnitatem pacis. Itaque ſimul gratulatur pro pace facta, & pacis diuturnitatem precatur. *populi tui*] tuorum fidelium, ſeu populi Chriſtiani, vt ſuprà expoſitum eſt. Quid à Deo fideles eius precentur exprimitur ſequentibus verbis, *& concede pacem tuam*] non quam mundus dat, ſed quam tu, donum optatiſſimum, atque diuinum. Pacem hoc loco intellige temporalem, quàm non ſolùm Deus dat, verùm etiam mundus, ſed diuerſa ratione & modo. Pax ſignificat tranquillitatem, atque concordiam. Concordia tum voluntatum conſpirationem, tum opinionum conſenſum ſignificat. nam tam ſenſus, quàm voluntas cor dicitur. vnde concordes dicuntur, qui idem cor habent, hoc eſt idem volunt, vel idem ſentiunt.

Domi. I. poſt Epiphaniã.

Qui-

Quidam tamen putant concordiam dici tantùm de diuerſis hominibus, ac tantummodò voluntatum coniunctionem, non autem etiam opinionum in aliqua re conuenientiam notare. At certè opinionum conſenſus etiam concordia rectè dicetur; & concors ſecum, cuius
Tuſc.4. opiniones iudiciaque concordant. quam concordiam Cicero animi ſanitatem vocat. Tranquillitas ſignificat perturbationum tam exteriorum, quàm interiorum ſedationem. Quamobrem pax, ſeu concordia, vel tranquillitas altera interior eſt, altera exterior. Interior eſt perturbationum animi placatio, eiuſque partium
Dom.20. poſt Pét. inter ſe recta compoſitio. de qua dicetur alio loco. Exterior, quàm quidam propriè concordiam dici volunt, frenat hominum inter ſe diſcrepantiam, atque contentionem: è qua plurima mala ſæpiſſimè oriuntur. Hanc pacem quidam vocant temporalem. quam & Deus dat, & mundus. ſed mundi pax leuis, inanis, ac ſæpè etiam ficta eſt, non virtutis ſtudio, ſed corporeæ voluptatis, vel vtilitatis gratia comparata. proinde facilè ſoluitur, quia fallax eſt vtilitas, atque voluptas. at pax Dei, quæ inter pios eſt, vera, ſtabilis, & iucunda eſt; quia charitas, quæ ipſam conciliat, huiuſmodi eſt. Lenit quoque interdum mundus rixas, quibus alius cum alio contendit; mitigat ſeditiones, quibus ciuitas concitatur; ſedat bella, quibus populus cum populo pugnat, non animos hominum rectè afficiendo, ſed vel alicuius commodi ſpe, vel propinquitatis, veteriſue amicitiæ memoria, vel vi ac violentia. ideo pax iſta diuturna non eſt: ac ſæpè etiam eſt maiorum contentionum, atque malorum ſemen, & cauſa. At Deus extinguit iras, tollit diſcordias, comprimit arma, hominum animos regendo, ac rerum ſtatum ſin-

gulari

gulari modo, & prouidentia temperando, rector & gubernator vniuerſi, piorum hominum ſanctis precibus, & religioſis officijs lenitus atque placatus. Quarè pax hæc firmior, & diuturnior eſt. Et à nobis quidem optanda eſt, non vt otioſè, & delicatè viuamus, ſed vt ab omnibus aduerſis rebus liberati, & mente, & corpore Deo ſecurius, promptiuſque ſeruiamus. Vnde pro regibus & principibus ciuitatum tam fidelibus, quàm infidelibus orare iubemur, vt inter ſe pacem habeant: quia in ipſorum pace ſubiectorum pax eſt. Sic Hieremias Dei nomine captiuis Iudæis in Babylonia præcipiebat, Quærite pacem ciuitatis, ad quam tranſmigrare vos feci: & orate pro ea Dominum; quia in pace illius erit pax veſtra. Quoniam verò pax hæc exterior propter ingeniorum peruerſitatem, & dominandi cupiditatem inter homines diù ſtare non poteſt, neceſſeque eſt, vt veniant ſcandala; non abſurdè rogamus Deum, vt det pacem *temporibus noſtris*] diebus noſtris. ſic ſancti viri Deum ſemper orarunt, Da pacem Domine in diebus noſtris. Dies pro tempore vſurpatur, vt cùm dicitur diebus Heliæ pro tempore Heliæ. Dicuntur noſtra tempora, non quæ nos fecimus, ſed quibus hic in terris viuimus: ſicut dies Heliæ dicuntur, non quos ille fecit, ſed quibus ille vixit, vel miranda opera fecit. Cæterùm pace nihil optabilius, nihil gratius, nihil melius aut cogitari, aut dici, aut inueniri poteſt: cuius etiam nomen ipſum omnium auribus iucundiſſimum eſt.

Cap. 29.

Matt. 18

DOMI-

DOMINICA TERTIA post Epiphaniam.

ORATIO.

Omnipotens ſempiterne Deus infirmitatem noſtram propitius reſpice, atque ad protegendum nos dexteram tuæ maieſtatis extende.

Deprecamur Deum, vt præſens noſtram imbecillitatem cernat, & ſua nos virtute defendat.

Toto hoc ab Epiphania vſque ad Septuageſimam reuocationis tempore diuinum auxilium poſtulamus, quo nos in bonis operibus, per quæ in cælum itur, exerceamus: atque inſuper contra noſtros aduerſarios muniamur; qui nos de via recta deijcere, & proſternere conantur. Nos autem ipſi per nos adeò debiles & infirmi ſumus, vt noſtris aduerſarijs reſiſtere minimè valea-
Epheſ.6. mus. Ad petendum hoc auxilium nos B. Paulus ſic hortatur, Confortamini in Domino; & in potentia virtu-
Cap. 10. tis eius: & ad Hebræos, Optimum eſt gratia ſtabilire cor. Etenim ex ſe nihil eſt firmum, quod eſt de nihilo factum. nam ex ſe tendit in nihilum, ex quo eſt, neque hoſtibus per nos ipſi reſiſtere poſſumus, qui debiliores
Thren.3. à nobis ita ſumus, vt ſola miſericordia Domini iam proſtrati, & conſumpti non ſimus. Infirmitas opponi-

tur

tur firmitati, quæ ſoliditatem, & conſtantiam ſignificat. Quarè infirmitas non eſt, vt quidam cenſent, morbus & ægritudo, ſed debilitas, fragilitas, imbecillitas, nempe virium eneruatio, comminutio, impotentia. Eſt enim eneruatus, qui vires comminutas habet: etſi ab ægrotatione, vel ab aliquo vitio corporis eſt imbecillitas. Infirmitas altera eſt corporis, altera animi. hic infirmitatem animi velim intelligi, quæ eſt ab animi ægritudine: quæ nihil aliud eſt, quàm vitium, quod virtuti opponitur. Vires animi præcipuæ ſunt ratio, & voluntas. Quare cùm mentis ad cernendum verum obtuſa eſt acies, & voluntatis ad capeſſendum bonum fractus conatus, tunc eſt infirmus, & impotens animus. Fecit *Eccl.7.* quidem hominem Deus rectum; illique animi vires integras dedit ad cognoſcendum, & appetendum, quod ſibi naturaliter conueniret, bonum: ſed quia diuino præcepto non obediuit, debilitatæ ſunt à peccato naturales eius vires, ſiue potentiæ. Hoc certè ipſum ait Dauid, cùm omnia oſſa ſua, hoc eſt, animi potentias, *Pſ.6.* à peccato conturbata eſſe commemorat. Quamobrem vt frugis in ſemine, ſic animi noſtri debilitatis infirmitatiſque cauſa in peccato eſt: quod mentis aciem quaſi caligine perſtringit, ne verum perſpiciat; & languore quodam voluntatem corripit, ne ad capeſſendum bonum moueatur. Peccatum quoque inferiorem appetitum, quem ſenſitiuum, ſiue ſenſualitatem, aut carnem Theologi appellant, contra rationem exacuit, & inſolentiorem efficit, vt audeat contra ius, faſq; omne dominari. Quocircà ſenſualitas nominatur tyrannus: nominatur etiam fomes peccati, quia fouet malarum voluptatum cupiditatem: ac prætereà vocatur infirmitas; quia nos ad reſiſtendum noſtris hoſtibus debiles &

infirmos reddit. Itaque & pœna peccati eſt, quoniam in nobis à peccato contra rationem concitata eſt; & eſt cauſa peccati, quia nos ad peccandum inducit: &, quia nobis peccata imperat, à B. Paulo peccatum, & lex peccati nuncupatur. Hunc tyrannum vincere nulla per nos vi, nulloque pacto valemus, ni diuinis auxilijs, opibuſque iuuemur. Nec verò ipſum diuina gratia extinguit, ſed dumtaxat eius vim reprimit, ardoremque coërcet, vt ne pugnæ nobis occaſio, & victoriæ deſit. Cum hoc quoque tyranno Mundus, & Diabolus infenſiſſimi nobis hoſtes in noſtram perniciem conſpirant: ac dies, nocteſque nunc vi, nunc dolis nos petunt; vt ad reſiſtendum pluribus inimicis debiliores adhuc ſimus. Vehementer igitur à nobis orandus eſt Deus, vt noſtræ fragilitati ſubueniat, & contra noſtros hoſtes nobis ſuis auxilijs, opibuſque ſuccurrat. *propitius*] præſens, & bonus, ſeu placidus, & pius; cui opponitur alienus, ſiue infenſus. Nam aliqui volunt propitium dici, quòd prope eat; aliqui, quòd prorſus pius ſit. *reſpice infirmitatem noſtram*] reſpicere quandoque eſt retrò aſpicere; quæ ſignificatio huic loco non congruit: quandoque eſt aſpicere, ſeu cernere. Aſpectus Dei eſt cognitio Dei. Deus licet omnia cernat, non tamen omnia cernit eodem modo. Nam quibus fauet, illa dicitur præſens cernere; quæ verò aſpernatur, illa dicitur à longè videre; ſicut in Pſalmo legimus. Et alta à longè cognoſcit. Oramus igitur, vt infirmitatem & fragilitatem noſtram propè ac propitius, non procul & alienus aſpiciat; vt, inquàm, noſtræ fragilitati ac debilitati opituletur. Significat prætereà reſpicio rationem alicuius habeo: ſic horum verborum ſenſus erit; habens rationem noſtræ imbecillitatis, ob quam reſiſtere

Rom.7.

Pſ.137.

ſtere noſtris aduerſarijs non poſſumus, ad defendendos nos tuam dexteram porrige. *atque extende*] porrige. *dexteram*] Deo (vt ſuprà diximus) metaphoricè, ſeu per tranſlationem membra corporis attribuimus. Dei manus in numero ſingulari potentiam, in numero plurali potentiam, & ſapientiam diuinam notant: dextera verò gratiam, fauorem, & auxilium deſignat. Hinc nimirùm eſt, quòd Dei dexteræ dicuntur reſiſtere, qui diuinæ gratiæ reſiſtunt. Hoc ſenſu Propheta Deum orat, A reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi me. *maieſtatis tuæ*] tuæ maximæ potentiæ. Maieſtas enim eſt amplitudo poteſtatis, & imperij. Quanta ſit autem maieſtas Dei declarat eius potentia, quæ ſumma, & immenſa eſt. *ad protegendum nos*] ad tuendum nos ab inimicorum noſtrorum incurſionibus, atque conatibus. Ergo dextera diuinæ maieſtatis eſt diuinum contra noſtros hoſtes auxilium. Igitur quia debiles, ac parum firmi ſumus ad repugnandum noſtris hoſtibus, oramus Deum, vt ſua nos ipſe virtute tueatur, defendat, & protegat.

Domi. 3. Aduen.

Pſ. 16.

DOMINICA QVARTA post Epiphaniam.

ORATIO.

Deus, qui nos in tantis periculis conſtitutos pro humana ſcis fragilitate non poſſe ſubſiſtere,

ſtere, da nobis ſalutem mentis, & corporis, vt ea, quæ pro peccatis noſtris patimur, te adiuuante vincamus.

A Deo nobis, quos videt in tam multis, ac magnis, in quibus verſamur, periculis non poſſe pro humana imbecillitate conſiſtere, oramus dari mentis, & corporis ſanitatem; vt mala, quæ pro peccatis noſtris toleramus, eius auxilio ſuperemus.

Superiore oratione poſtulauimus à Deo contra hoſtes noſtros defenſionem; hac rogamus tolerantiam malorum, quæ pro peccatis noſtris perferimus: vtraq; oratione firmitatem & conſtantiam oramus; illa quidem oratione firmitatem contra hoſtium conatus, hac verò ad ſuſtinendas peccatorum pœnas, quas meremur, cùm ab hoſte nos vinci, ſeu delinquere contingit. Sequitur enim pœna delictum, vt effectus cauſam, atque, vt ille inquit Poëta, (ſi tamen iſtorum ſententijs nobis vti licet) culpam pœna premit comes. Eſt quidem culpa in homine; quia ſuo vitio à recta via diſcedit, atque delinquit. quare non abeſt à reprehenſione. pœna verò eſt à Deo ſummo rege, & iuſto iudice: qui benefactis præmia, & malefactis ſupplicia pro ſua ſapientia, & æquitate decernit. Pœnæ, quibus in hac vita pro peccatis à Deo punimur, ſunt fames, ſitis, calor, frigus, labores, laſſitudines, vigiliæ, dolores, ægritudines, peſtes, egeſtates, orbitates, exilia, naufragia,

Horat. Carmin. Lib. 4. Od. 5.

fragia, bella, cruciatus, neces, & quæ ſenſibus dura, aſpera, & iniucunda ſunt. Quæ mala patienter qui ſuſtinet, pro peccatis ſatisfacit: qui verò iniquè perfert, eum ipſa ſequentur etiam poſt mortem, & ardebunt vſque ad inferni nouiſſima. Infliguntur pœnæ & electis, & reprobis: verùm electis, quia voluntariè propter verum bonum ipſas perferunt, proſunt ad ſanandam animi infirmam valetudinem; reprobis verò, quoniam inuitè ipſas ſuſtinent, atque deſperant, ad augendam animi prauitatem valent. Sed quoniam peccatorum pœnas à nobis patienter, vt decet, perferre nequimus, diuinam opem poſtulemus, qua res aduerſas & malas fortiter vincamus, & victores cæleſti corona donemur. *qui ſcis*] neque enim docendus es aut de noſtra fragilitate, aut de ſalutis noſtræ periculis, qui omnia vides, etiam abſcondita cordium. *nos*] famulos tuos, atque fideles. *conſtitutos*] poſitos *in tantis periculis*] tam multis ob numerum, & tam magnis ob granditatem. nam tantus & ad numerum, & ad magnitudinem refertur. periculis inquàm malorum tam animi, quàm corporis. Periculum (vt ſuprà diximus) eſt appropinquatio, ſeu vicinitas formidabilium rerum, quas natura aſpernatur. Ea, quæ ſunt aſpera naturæ, vocamus mala. Mala & animi, & corporis, & externa, quæ nos vndique circunſtant, permulta ſunt, & grauia: quæ ſanè euadere, aut deuincere pro noſtri animi, & corporis imbecillitate non poſſumus, ni Deus ſit bonus, & præſens nobis. *non poſſe à nobis pro humana fragilitate*] propter mortalem fragilitatem. Fragilitas idem eſt, quod debilitas, atque infirmitas. de qua ſuprà diximus. Humanus, cùm refertur ad perſonam, ſignificat lenem, manſuetum, atque affabilem: cùm verò

Dom. 1. Aduent.

Domi. 3. poſt Epiphaniã.

verò refertur ad rem, ſæpius ſignificat inſtabilem, atq; mortalem. Porrò & affabilitas, & mortalitas vtraque homini conuenit. *ſubſiſtere*] conſiſtere, ſeu firmiter ſtare, *da*] pro tua benignitate atque clementia concede *nobis*] fidelibus tuis *ſalutem mentis, & corporis*] animi, qui mens hic vocatur, & corporis ſanitatem. Sanitas corporis in quatuor, vt medici loquuntur, humorum, ſcilicet ſanguinis, pituitæ, flauæ, & atræ bilis apta temperatione, quam ijdem medici complexionem vocant, conſiſtit: ſanitas animæ verò eſt ex ſententiarum, atque appetitionum eius recta conſpiratione, atque conſenſu. Ex corporis ſanitate robur, ex animi bona valetudine conſtantia oritur. Quare dum vtriuſque ſanitatem oramus, etiam firmitatem vtriuſq; poſcimus. Sanitas quidem animi per ſe ipſa expetenda eſt, quoniam honeſta, & amabilis Deo eſt; ſanitas verò corporis non eſt optabilis per ſe ipſa, ſed vt corpus animæ, & anima Deo commodè ſeruiat. ſiquidem corporis imbecillitas, & ægritudo quandoque vires animi, motuſque retardat. Eſt, neque inficior, corpus, quà motus habet prauos, ac turbulentos, & humanæ rationi, diuinæq; legi contrarios, caſtigandum, & in
1. Cor. 9. ſeruitutem ſpiritus redigendũ. quod à B. Paulo factitatum legimus, tamen quà eſt noſtri pars altera, & animæ miniſter, curandum eſt, vt validum ſit, ac ſimul etiam ſanctum. Templum enim Dei eſt. Ideoque B. Paulus
Rom. 6. ad Romanos ſcribit, vt exhibeamus membra noſtra
1. Cap. 4. ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. & ad Theſſalonicenſes, Hæc eſt voluntas Dei, vt dignè ambulemus: vt ſciat vnuſquiſque vas ſuum poſſidere in ſanctificationem, & in honorem. *vt vincamus, te adiuuante,*] vt tua ope, & auxilio ſuperemus *ea* mala, *quæ patimur.*] ſeu ſuſti-

ſuſtinemus *pro peccatis noſtris*] quippe mala, ſiue ſupplicia nobis ob peccata diuino iudicio inferuntur. Peccato deberi pœnam, quæ malum quoddam eſt, & infligi à Deo vniuerſorum domino & iudice, atque electis eſſe medicamentum quoddam ad curandam animi ægritudinem, paulò antè diximus. Accidit tamen aliquando nos pro aliorum peccatis pati, vt filios pro peccatis parentum, & pro peccatis regum populos: ſed illorum peccata ad nos pertinent, quatenus cum illis aliquam neceſſitudinem habemus. Patiuntur etiam ſancti viri ſæpè mala, neque pro ſuis, neque pro aliorum peccatis; ſed vt alijs ſint patientiæ, ac virtutis exemplum: vnde maiorem ipſi gloriam conſequantur. Vincuntur autem mala, cùm æquo animo tolerantur, non deſperando, ſed ſuſtinendo, & in diuina ope confidendo. Verùm de patientia dicetur alibi. *Domin. Palma.*

DOMINICA QVINTA
poſt Epiphaniam.

ORATIO.

Familiam tuam, quæſumus, Domine continua pietate cuſtodi, vt quæ in ſola ſpe gratiæ cæleſtis innititur, tua ſemper protectione muniatur.

Deum obteſtamur, vt familiam ſuam cæleſti clemen-

clementia dies, noctesque custodiat: vt eius tuta præſidio ſit, quæ vni diuinæ gratiæ confidit.

Hac oratione petimus ferè idem, quod duabus ſuperioribus orationibus poſtulauimus, videlicet diuinum auxilium, atque præſidium. Familia eſt idem, quod domus. nec verò domus, cùm pro familia ponitur, fundamentum, parietes, tectumque ſignificat, ſed habitatores in ea: quemadmodum nomine ciuitatis non mœnia, ſed cœtus hominum habitantium intra eadem mœnia denotatur. Nec quiſquis in aliqua domo eſt, pars eius eſt, ſed qui iure quodam, quo cæteri, vni, eidemque rectori, quem patremfamilias appellamus, paret: à quo eandem omnes appellationem capiunt: perinde vt non omnes, qui in vrbe aliqua ſunt, ciues iidem ſunt; ſed quos iidem mores, eædemque leges, & iura coniungunt: vnde ab eodem ciuitatis nomine, ſimiliter omnes denominantur. Atque vt ciuitatem & certa hominum conſociatio facit, & aliquorum bonorum ad victum, veſtitumq; neceſſariorum poſſeſſio continet, ſic familiam & certorum hominum conſortio inſtituit, & nonnullorum bonorum, quibus vita ſuſtinetur, poſſeſſio conſeruat. Eſt autem in familia triplex conſociatio, mariti & vxoris, patris & filij, domini & ſerui: idemque eſt maritus, pater, & dominus, qui eſt totius familiæ princeps. ideoque triplici iure familiam regit, vxorem ciuili, quia communis eſt vtriuſq; vitæ ratio; filium regio, cuius vtilitati proſpicit; ſeruum tyrannico, cui modis omnibus dominatur: ipſiſq; victum, & veſtitum pro cuiuſque conditione diſtribuit. Qui in ciuili, & regio dominatu ſunt, liberi ſunt. nam facul-

facultatem habent quibuſdam in rebus præcipientis imperio reſiſtere: verùm qui in tyrannico dominatu ſunt, quia ſui iuris non ſunt, nullam habent contradicendi facultatem. Maris & fœminæ coniunctio ad propagationem & ſobolem; patris & filij neceſſitudo ad humani generis conſeruationem; domini & ſerui conuictus ad eorum operum, quibus vita ſuſtinetur, effectionem pertinet. Venit autem in appellationem ſerui non ſolùm res animata, vel capax, vel expers illa ſit rationis, verùm etiam inanima, qua vtimur ad aliquod opus vitæ vſui neceſſarium, vt ligo, ſcalpellum, ſerra, dolabra, & his aliæ res ſimiles. Iam totus mundus vna eſt domus, eiuſque paterfamilias eſt Deus, qui vnus cæleſtia, ſimul & terrena moderatur, omnium neceſſitatibus ſapientiſſimè, & cumulatiſſimè prouidens. Adhoc fidelium communitas, quæ græcè Eccleſia, latinè conuentus nominatur, eſt peculiaris familia Dei: cuius paterfamilias ſingulari quadam ratione eſt Chriſtus homo, & Deus. Idem enim Chriſtus, qui ſua nos ſibi, & inter nos fide coniunxit, & ſanctis præceptionibus informauit, eſt ſponſus, pater, & dominus. Nam Eccleſiam ſuo ſanguine redemptam ſibi deſponſauit, filios regenerauit, & ſeruos ſibi, quos probauit, elegit, non coactos, ſed liberos. qui ijdem quoq; ſunt filij, quanquàm diuerſa ratione: filij quidem ratione creationis, & regenerationis; ſerui verò ratione mancipij. Atque inſuper ſingulis neceſſaria bona iuſtè, ſapienterque diſpertit. *cuſtodi*] cuſtodire hic eſt tueri, conſeruare, protegere, atque fouere quod charum, & acceptum eſt. *familiam tuam*] eccleſiam tuam, hoc eſt fidelium communitatem. De eccleſia dicetur alio loco. *Dom. 24. poſt Pét.*
pietate] benignitate & clementia, vt ſuprà expoſuimus.

continua] perpetua; à qua nunquàm deſeratur. nam ſi quicquàm deſeritur, illicò ruit; *vt* hæc ipſa familia tua, *quæ innititur in ſola ſpe gratiæ cæleſtis,*] quæ in ſola diuina beneuolentia, & auxilio confidit, atq; ſalutis ſuæ ſpem omnem ponit. Inniti eſt inhærere, incumbere, ſuſtineri id, quod infirmum eſt, ruinamue minatur. Quanta ſit autem humana fragilitas omnes norunt. Gratia multas habet ſignificationes, vt alibi dicetur. nam quandoq; ſignificat beneuolentiam, quandoque donum, quandoque grati animi memoriam: hoc loco, mea ſententia, beneuolentiam, vel diuinum auxilium ſignificat. Et quidem qui amat, libenter iuuat, quem amat. *muniatur*] quaſi quodam vallo, & munitione firmetur. *ſemper*] noctes, & dies. quia noctes, & dies noſtri hoſtes in noſtram perniciem vigilant. *protectione*] propugnatione, & defenſione *tua.*] cæleſti & diuina; in qua ſumus ab omni aduerſariorum conatu, & impulſu tuti.

Dom.16. poſt Pét.

DOMINICA SEXTA *poſt Epiphaniam.*

ORATIO.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus, vt ſemper rationabilia meditantes, quæ tibi ſunt placita & dictis exequamur, & factis.

Gratiam à Deo poſcimus, qua ſemper animo con-

conuenientia tractemus, ac verbis, & factis res ipſi gratas, & iucundas perſequamur.

Diebus dominicis Aduentus precati ſumus à Deo gratiam, qua iuſtificamur, atque ſaluamur: alijſque diebus dominicis ſequentibus bonas actiones, quæ à gratia proueniunt, poſtulauimus, petiuimuſq; ſubſidium, quo protegamur contra noſtros aduerſarios, qui noſtros animos diuinis gratijs ſpoliare, & actiones bonas corrumpere, atque euertere conantur: hac poſtrema Dominica Epiphaniæ quaſi perorantes obſecramus, vt nobis bonam mentem, atque auxilium donet: qui, quæ diuinæ gloriæ, ac noſtræ ſaluti conſentanea ſunt, cogitemus, loquamur, & faciamus. Omnis etenim bona actio vel interior eſt, vel exterior: interior eſt, quæ in bona voluntate conſiſtit; exterior verò eſt, quæ extra voluntatem vel ore, vel opere ſe prodit. Vnde talis eſt ſermo, qualis eſt animus: ſermoni, & animo facta ſimilia ſunt. Quæ ſit autem bona voluntas, & actio, ſuprà docuimus. *Præſta*] fac, da, concede, præſta idem ſignificant. *vt ſemper*] omni tempore. quia nullum tempus eſt, quo non oporteat de Deo, eiuſque præceptis, & operibus cogitare. Hoc porrò eſt ſemper orare. *meditantes*] meditari eſt mente attrectare, hoc eſt attenta cogitatione verſare. Eſt enim cogitatio mentis agitatio. verùm mente agitare quæ ſancta, honeſta, & ad noſtram ſalutem vtilia ſunt, à nobis non poſſumus, ni Deus ſuo numine mentes noſtras inſtiget; qui eſt omnis bonæ motionis tam intelligentiæ, quàm voluntatis principium. Quarè B. Paulus aſſerit nos ex nobis tanquàm à nobis ſufficientes non eſſe boni aliquid cogita- *1. Cor. 3.*

re. Quamobrem gratiam petimus à Deo, qua meditemur *rationabilia*] conuenientia, & rationi conſentanea: etſi quibuſdam rationabile idem eſt, quod veriſimile. Sunt autem conuenientia quæcunque ad Dei gloriam ſpectant, & ad noſtram ſalutem faciunt. Nec quicquàm porrò ad noſtram ſalutem facit, quod non in Dei gloriam redundet; nempe à quo eſt noſtra ſalus, & vi-
1.*Theſſ*.4 ta. Itaque nos rectè B. Paulus monet, vt in Dei gloriam omnia faciamus. *exequamur*] perſequamur. non enim ſatis eſt res bonas cogitare, ſed oportet illas exequi *dictis, & factis*] verbis, & operibus. *quæ placita ſunt tibi*.] quæ tuæ voluntati placent. Placent diuinæ voluntati quæ noſtram ſanctificationem continent. Hæc
1.*Cor*.10. enim eſt voluntas Dei (vt B. Paulus ait) ſanctificatio noſtra. Ad ſanctificationem noſtram facit diuinis præceptis obtemperatio: quæ Deus iuſſit vt ſemper ante oculos, & in manibus haberemus, hoc eſt animo tractaremus, & operibus exerceremus. Vides actionem bonam & cordis, & oris, & operis eſſe; progrediq; ex corde in os, & opus, perinde vt peccatum & corde concipitur, & ore profertur, & opere perficitur.

DOMINICA SEPtuageſimæ.

ORATIO.

Preces populi tui, quæſumus, Domine clementer exaudi, vt, qui iuſtè pro peccatis noſtris

noſtris affligimur, pro tui nominis gloria miſericorditer liberemur.

Deum obſecramus, vt benignè noſtras preces accipiens, nos ad ſui nominis gloriam his malis propitius leuet, quibus ob peccata noſtra iurè proterimur.

Poſtquàm oſtenſa eſt noſtræ renouationis ratio, & demonſtrata via ad cæleſtem patriam, è qua propter primi hominum parentis temerarium, & improbum facinus pulſi miſerandum in modum in caliginoſis, & ærumnoſis exulamus locis, deinceps exilij noſtri miſeranda conditio nobis ante oculos ponitur. Cuius exilij figura fuit Iudaici populi captiuitas in Babylonia: in quam ex Hieruſalem Nabuchdonoſor Babyloniorum rex Iudæos bello captos adduxit: vbi duram ſeruitutem annis LXX. ſeruierunt. Nos enim Diabolus victos, & è paradiſo eiectos in hac miſeriarum, & ærumnarum valle duriſſimo iugo ſeruitutis premit, & miſerabilem vitam agere cogit: quæ continenter ſeptem dierum orbe conuertitur. Quod infelicis vitæ noſtræ ſpacium ſeptuageſima deſignat: in qua humanæ vitæ calamitoſum ſtatum deploramus: quem ſic deſcribit Eccleſiaſticus: Occupatio magna creata eſt omnibus *Cap.* 40. hominibus, & iugum graue ſuper filios Adæ à die exitus de ventre matris eorum vſque in diem ſepulturæ. Ac vitam ſuam grauiter Propheta ille conqueritur his *Iob* 10. verbis: Quarè de vulua matris egreſſus ſum, vt videam laborem, & dolorem; & conſumentur in confuſione

dies mei? Sed quoniam propter parentis noſtri peccatum exilio mulctati ſumus, & pro peccatis quoque noſtris in hoc exilio multis malis frequenter affligimur, è quibus liberari optamus, operæprecium fore arbitror de peccatis pauca dicere: quorum in his orationibus mentio ſæpiſſime fit. Dicemus quid ſit peccatum; quot eius formæ; & quæ nobis ex ipſo mala eueniant. Pendet autem hæc de peccato diſputatio ex illa, quæ ſuprà habita eſt de bona actione. Nam peccatum eſt idem, quod actio mala: habitus verò, è quo mala actio prodit, vocatur vitium, græcè κακία; quod è regione virtuti opponitur. Ergo fallitur, qui peccatum exiſtimat idem eſſe, quod vitium. Etenim peccatum & vitium ſic inter ſe, vt habitus & actio, differunt. Certum eſt tamen, quod virtutis actus non habet vnum proprium nomen, ſicut actus vitij, qui peccatum vocatur: ni fortè velis actum virtutis rectè factum nuncupare, græcè κατόρθωμα. Iam quæ ſit actio mala ex bonæ actionis definitione cognoſcitur: quandoquidem cùm inter ſe contrariæ ipſæ ſint, etiam contraria vtriuſque ratio eſt. Itaq; ſi bona actio eſt, quæ ſecundum rationem, & mala actio eſt, quæ contra rationem fit. Enimuerò ſi malum eſt, quod contra naturam eſt; hominis autem natura maximè eſt ratio, quæ in homine præſtantiſſima pars eſt; certè, quod contra rationem geritur, malum eſt. Eſt enim ratio quædam quaſi regula, ad quam actiones noſtræ dirigendæ ſunt. eſt etiam animata quædam lex iubens ea, quæ facienda, & prohibens ea, quæ facienda non ſunt. Verumtamen hæc ipſa lex humana pendet, vt ſuprà diximus, à diuina: quæ eſt ipſamet Dei voluntas, quæ omnibus rebus imperat, modumq; præſcribit. Quarè qui humanæ legi non paret, diuinæ reſiſtit.

Dom. intra Oct. Natiuit.

Dom. intra Oct. Natiuit.

ſtit. Eſt autem diuina lex tum in noſtris animis impreſſa, tum ſacris enunciata ſcripturis. Cuius enunciationem ignorantes phiſophi tantummodò naturali lege ad inſtituendas humanas actiones vſi ſunt: ſed quoniam humana ratio reddita obſcurior eſt à peccato; quaſi nubem quandam, atq; caliginem humanæ menti praua offundente cupiditate, quæ à primi parentis flagitio in nobis excitata eſt, eorum de humanis actionibus doctrina perfecta non eſt; ſæpè etiam falſa, præſertimque de his, quæ ad veri Dei fidem, & æternæ felicitatis adeptionem pertinent. ſiquidem hæc attingi humano ingenio, & ratione non poſſunt. At chriſtiani Theologi non ad humanam, ſed ad diuinam potiſſimè legem hominum actiones componunt. Ideoque peccatum finiunt eſſe quicquid contra diuinam, æternamque legem aut cogitatur, aut dicitur, aut agitur. Quæ definitio complectitur omnem actionem, tam eam, quæ in corde, ſeu voluntate conſiſtit, quàm eam, quæ extra voluntatem ſe vel ore, vel opere prodit. Bonam actionem tria ſimul (vt ſuprà docuimus) efficiunt, ſcilicet voluntas recta, quæ principium eſt actionis; res, quæ agitur, ex ſe bona; & circumſtantiæ conuenientes rei, atque perſonæ. ſiquidem non eſt perfectum, quod non ex omnibus ſuis partibus conſtat, eiſque integris. at malam per ſe quæque harum facit, vel praua voluntas; vel res per ſe mala; vel aliena circumſtantia. quoduis enim vitium totius actionis integritatem corrumpit. Atque in omni mala actione Theologi tria conſiderant, nimirum prauitatem, culpam, reatum. Prauitas actionis eſt à recta rationis regula diſtorſio. exempli gratia, dictat ratio non eſſe rapiendam rem alienam; rapit quis rem alienam: iſtius actio, quoniam

à re-

à recta ratione diſcrepat, praua, & diſtorta eſt. Eſt etiam prauitas ratione finis: cùm, rem aliquam ex ſe bonam agendo, aliud, quàm Dei beneuolentiam quærimus. Id porrò, quod hominem à Deo ſummo bono, & omnium rerum fine detorquet, eſt boni temporalis appetitio: quæ falſa ſpecie nos decipiens, ab immutabili bono abducit. Culpa verò eſt actionis ipſa ratio digna reprehenſione; quoniam eius cauſa in nobis eſt: ſiquidem eſt voluntaria; quippe in noſtra poteſtate poſita. quòd ni voluntaria eſſet, mala non eſſet; nec vllo deinceps iure culpanda. Quarè peccatum culpa vocatur, quia reprehenſibile, & culpandum eſt. Ac quoniam peccato pœna debetur lege tam humana, quàm diuina, ratione iuſtitiæ tribuentis benefactis præmia, & malefactis ſupplicia, pœnæ obligatio nominatur à Theologis reatus: etſi quandoque reatus pro peccato ponitur. Vides igitur peccati prauitatem, culpam, atque reatum. Sed eius formas ſtrictim attingamus. Omnis peccati origo, vt S. Auguſtinus docet, vel eſt amor ſui, vel timor immoderatus. Ad has cauſas mouentes animum ad peccandum omnia peccata referuntur. Et ratione vitiatæ radicis, è qua peccatum enaſcitur, eſt *illa* peccati (vt Theologi docent) in originale, & actuale diuiſio. Originale eſt, quod in noſtræ procreationis origine, quando anima corpori infunditur, contrahitur ex carne fœtido coitus feruore polluta; qui feruor à peccato primi omnium parentis eſt. Ideoq; natiuum à quibuſdam dicitur, quia nobiſcum oritur. Actuale eſt, cuius nos ipſi, quia malam voluntatem habemus, cauſa ſumus. Illa verò in mortale, & veniale diuiſio reſpicit reatum; eò quòd mortali æterna pœna debetur, veniali verò temporalis. Vocatur mortale, quoniam mor-

tem infert. nam hominem priuat diuina gratia, quæ eſt noſtræ animæ vita. quare dicetur rectiùs mortiferum. nam mortale propriè non eſt id, quod mortem affert, ſed id, quod morti obnoxium eſt. Veniale dicitur, cui venia condonatur. non enim à Deo ſeparat, ſed tantùm ab eius amore, ſtudioque retardat. Inſuper ratione initij, progreſſionis, & abſolutionis, diuiditur in peccatum cordis, oris, & operis. addunt his aliqui peccatum conſuetudinis. Primò namque peccatum voluntate concipitur; deinde ore proditur; tandem opere perficitur: quòd ſi adhuc vſu inualuerit, habitum ingenerat. Eſt prætereà peccatum in Deum, in ſeipſum, in proximum. Quamuis enim peccatum omne diuinæ legi repugnet; tamen à perſona, ad quam præcipuè lædendam committitur, denominationem accipit. Proinde hæreticus in Deum, cuius fidem violat; guloſus in ſeipſum, cui eſt iniquus; homicida in proximum, quem interimit, peccat. Reuocantur quoque omnia peccata in ſeptem quaſi capita; vnde capitalia dicuntur; è quibus cætera deriuantur: alioquin capitale etiam nuncupatur, quod capite plectendum eſt. Iſthæc ſunt Superbia, Auaritia, Luxuria, Inuidia, Gula, Ira, Accidia. Eſt etiam diſtinctio peccati omiſſionis, & commiſſionis: ſed hæc diſtinctio non formam vllam, ſed tantummodò peccati materiam reſpicit, nempè ipſa Dei præcepta: quorum quædam iubent hæc fieri, quædam vetant illa fieri: horum eſt omiſſio, illorum eſt commiſſio. Scio plures ab alijs peccatorum aſsignari diuiſiones, ſed omnes ad has, quas recenſuimus, reduci poſſunt. De quibus velle plura dicere huius noſtri operis inſtitutum non patitur. Omne autem peccatum (cùm de peccato loquimur,

de mortifero præcipuè loquimur) tria in animo mala procreat, nempe deprauationem, maculam, & reatum. Nam animum à naturali, & diuina lege detorquens, ipſum deprauat, priuat diuina beneuolentia, ſpoliat gratuitis bonis, virtutumque, & donorum cæleſtium ornamentis, obtundit aciem mentis, reſtinguit voluntatis erga res bonas affectum, malæ cupiditatis inflammat ardorem, atque hominem à fidelium communitate ſeiungens, illi dux eſt in interitum. Vnde hominem in interitum inducens, dicitur eſſe nihil: quoniam interitus in nihilum deſinit. Adhæc animi nitorem terrenarum, & ſordidarum rerum amore, & attrectatione commaculat. Neq; enim macula eſt aliud, quàm alieni, & impuri coloris nota impreſſa rei naturali, & puro colore nitenti. Poſtremò peccatorem grauibus obligat pœnis, atque inſuper in Diaboli poteſtatem tradit, Ideoque pœnarum obligationes ob peccata nuncupantur nexus, quibus conſtricti apud Deum ſummum regem, & iudicem tenemur. Sunt etiam vincula, quibus vinctos nos Diabolus tenet, vt ne bonam rem vllam agamus. Pœnæ autem, quas pro peccatis in hac vita pendimus, ſunt animi triſtitiæ, & malæ cupiditates, corporis labores, dolores, ægritudines, bonorum iacturæ, iniuriæ, inimicitiæ, ignominiæ, charorum amiſſiones, & ſolitudines: poſt mortem verò generis omnis tormenta, & cruciatus æterni. Omitto dicere aliquod peccatum eſſe vnius pœnam, & alterius cauſam; quandoquidem plura de peccato diximus, quàm ſtatueramus. Proinde iam orationis verba interpretemur. *exaudi clementer*] benignè audi. Audire, ſiue exaudire preces eſt concedere, quod precariò petitur. *preces populi tui*] vota tuorum fidelium. Quid ſit populus, &

quis

quis Dei populus, iam ſuprà expoſitum eſt. Quid autem populus Dei hac oratione precetur, ſequentia verba declarant, *vt nos, qui* malis *affligimur*] ſeu deprimimur atq; pioterimur *iuſtè*] ac meritò pro *peccatis noſtris*] Debetur enim peccato pœna ratione diuinæ iuſtitiæ. Ac mala, quæ pro peccatis patimur, vel triſtitia animum, vel dolore corpus afficiunt: atque in hac vita electis faciunt ad purgationem peccatorum; reprobis verò ſunt quædam æternorum tormentorum initia. *liberemur*] his afflictionibus, ac malis ſubleuemur, atque eripiamur. *miſericorditer*] clementer & piè. *pro gloria nominis tui*] propter nominis tui manifeſtationem. vt nomen tuum, quod eſt Deus, nomen omnipotentis, & vniuerſa regentis naturæ, clareat, manifeſtumque omnibus fiat, Fit enim (vt alibi dicetur) maximè in miſerando, & parcendo manifeſtum.

Domi. 1. poſt Epiphaniã.

Dom. 10. poſt Pét.

DOMINICA SEXAgeſima.

ORATIO.

Deus, qui conſpicis quia ex nulla noſtra actione confidimus, concede propitius, vt contra aduerſa omnia Doctoris gentium protectione muniamur.

Rogamus Deum, vt nos, quos ſcit nulla no-

ſtra poſſe actione niti, benignè det contra res omnes aduerſas B. Pauli Apoſtoli doctoris gentium propugnatione defendi.

Septuageſima (vt diximus) ſignificat noſtrum è cæleſti patria exilium; Sexageſima verò ex Chriſti ſponſi abſentia viduitatem Eccleſiæ: quandoquidem Chriſtus ab omnibus fidelibus, qui in via ſunt, abeſt corporis, quod de B. Virgine ſumpſit, præſentia; à peccatoribus verò abeſt etiam gratia. Proinde hominum vita laborioſa, & multorum, magnorúmque periculorum eſt plena: atque aliqui rebus aduerſis, aliqui ſecundis vincuntur; vincunt verò, qui cum Deo nihil ab illis timent, & has deſpiciunt. Cùm igitur in hac vita multis periculis expoſiti, multiſque malis obnoxij ſimus, precamur Deum, vt à nobis B. Pauli Apoſtoli Doctoris Gentium protectio res omnes aduerſas, infenſaſq; prohibeat. Facit autem Eccleſia in collecta mentionem B. Pauli, quia hoc die ſtatio eſt ad S. Paulum: itemque Feria V. Dominicæ III. Quadrageſimæ ſanctorum Coſmæ & Damiani mentionem faciet: quia erit eo die ſtatio ad ſanctos Coſmam & Damianum. ſiquidem conſueuit aliquando eius ſancti patrocinium implorare, ad cuius templum eſt ſtatio. Nec iniuria poſtulamus à Deo B. Pauli patrocinio defendi; qui nos ipſe ad veram Dei fidem, & religionem erudiuit. Nec rerum diuinarum cognitionem, atque doctrinam, qua nos informauit, ille ſuo ingenio inuenit, aut ab hominibus didicit, ſed ex ipſo veritatis fonte copioſiſsimè hauſit tunc temporis, cùm in tertium cælum raptus eſt: vbi vidit arcana Dei, quæ homini effari non licet. 2.Cor.12

Ipſeq;

Ipſeque met in epiſtola, quam ſcribit ad Galatas, Euan gelium, hoc eſt bonum nuncium, veri, inquam, Dei, ſalutiſque noſtræ notitiam, non ſibi ab hominibus traditum, ſed à Chriſto Ieſu reuelatum eſſe confirmat. Ideoq; non minoris authoritatis ſunt eius Epiſtolæ, quàm illa quatuor, quæ ab Eccleſia recepta ſunt, à Matthæo, Marco, Luca, & Ioanne ſcripta Euangelia. Sunt eius epiſtolæ diuinæ propter diuinorum myſteriorum, quam continent, doctrinam, & aureæ ob ſuſpiciendam ſententiarum grauitatem, & dignitatem. In quibus equidem & rerum copiam, & animi vim, & dictionis neruos vehementer admiror. Docent eius Epiſtolæ omnia, quæ credenda, & agenda ſunt homini ob æternam ſalutem ita, vt qui diuinæ ſapientiæ doctorem Paulum omnium Theologorum ducem ſequetur, nihilum à veritate aberrabit, nec quicquàm in vita delinquet. Reuelatumque eſt B. Paulo Dei euangelium, vt illud tum Iudæis, tum potiſsimè Gentibus promulgaret. Id quod ipſe ad Galatas ſcribit his verbis, Cùm autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret filium ſuum in me, vt euangelizarem illud Gentibus. Idemq; Paulus ad eoſdem Galatas ſcribit, Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt mihi inter Gentes. Quamobrem ſe ipſe vocat Gentium Apoſtolum: & nos eum quoque Doctorem Gentium nuncupamus. Annos triginta continuos euangelium innumeris populis, & nationibus prædicauit, omnes, quæ ab Hieruſalem vſque ad Illyricum ſunt, regiones ingenti labore, atque alacriore animo percurrens. Neque ſolùm in eos, qui in orientis, verùm etiam in eos, qui in occidentis Solis partibus ſunt, populos diuinæ

Cap. 1.

Cap. 1.

Cap. 2.

Rom. 11. et 1. Ti. 2

uinæ veritatis lumen importauit. Nam & in Italiam venit, & (quod B. Chryſoſtomus ſcriptis ſuis prodit) in Hiſpaniam ad prædicandum Ieſu Chriſti euangelium profectus eſt; &, quò eius pedes non attigerunt, per-
1.Cor.15 uenerunt epiſtolæ: vt verè de ſe ipſe dicat, Gratia Dei in me vacua non fuit; ſed abundantius omnibus laboraui: & Eccleſia iurè dicat, Deus, qui multitudinem Gentium B. Pauli Apoſtoli prædicatione docuiſti. Nec tantùm extra carcerem, verùm etiam in carcere Chriſtum Ieſum ſemper interritus prædicauit. Sic enim ad
2.Tim.2 Timotheum ſcribit, Etſi corpus conſtrictum eſt, tamen Dei verbum alligatum non eſt. Et quæ verbo prædicauit, etiam confirmauit integerrimæ ac ſanctiſſimæ vitæ ſuæ ratione, atque exemplo. Itaque B. Paulus præ omnibus Apoſtolis euangelij prædicatione apud omnes gentes eminet, animorum, virtutumq́; omnium magiſter. Quis innumeros, ingenteſq́; labores, quos ille pro cunctorum hominum ſalute ſuſcepit? quis ſtudium, & ardorem charitatis, quo, velut pater filios, omnes amplexus eſt, vt paratus ſemper fuerit pro omnibus corpus, & animam ponere? quis eius in aduerſis rebus ſingularem conſtantiam? quis tot, tantorumque malorum, quæ continenter ſuſtinuit, incredibilem patientiam? quis contra omnium prauorum hominum, & dæmonum conatus, atque iniurias mirandum animi robur, & fortitudinem vllis verbis exprimere poterit? Lege epiſtolam, quæ hodierno die in ſacrificio Miſſæ recitatur, cognoſces quot, & quæ pro Chriſto pertulerit. id quod olim Chriſtus Ananiæ præ-
Act. 9. dixerat, Ego oſtendam illi quanta oporteat pro nomine meo pati. Quòd ſi quandoque inimicorum inſidias vitauit, & manus effugit, non metu mortis id fe-

eſt, ſed vt adhuc magis alios doceret, atque in Chriſti fide, & charitate firmaret. ſic ad Philippenſes ſcribit permanere in carne neceſſarium propter vos. Rectè igitur in aduerſis rebus à Deo poſcimus B. Pauli protectionem, à quo veram religionem, & diuinarum rerum cognitionem didicimus. *qui conſpicis*] qui optimè noſti; cuius oculis nuda, & aperta ſunt omnia. Aſpectus Dei eſt cognitio Dei; quæ perfectiſſima eſt. *quia ex nulla noſtra actione confidimus*] quòd de nulla noſtra, vel nulla noſtra actione fidentes ſumus; nulla, inquàm, noſtra actione niti poſſumus, qui à nobis debiles, & imbecilli ſumus, *concede propitius*,] benignè da, *vt muniamur*] obuallemur, atque firmemur *protectione Doctoris Gentium*] defenſione, ac patrocinio B. Pauli Apoſtoli: qui, quoniam Chriſti doctrina gentes præ cæteris Apoſtolis (vt ſuprà commemorauimus) inſtruxit, Doctor Gentium per Antonomaſiam cognominatus eſt. *contra omnia aduerſa*] contra res omnes aduerſas, & ſaluti noſtræ contrarias; hoc eſt vt nulla re aduerſa concidamus. Quas res aduerſas vocemus, in ſequentis orationis expoſitione docebimus.

Cap. 1.

Hebr. 4.

DOMINICA QVINquageſima.

ORATIO.

Preces noſtras, quæſumus, Domine clementer exaudi; atque à peccatorum vincu-

lis abſolutos ab omni nos aduerſitate cuſtodi.

Deum precamur, vt nos orantes beneuolè audiat, & peccatorum vinculis ſolutos ab omnibus rebus tueatur aduerſis.

Quinquageſima (vt docent ij, qui diuinorum officiorum rationes tradunt) deſignat tempus remiſsionis: cuius gratia his diebus præſcripta ſunt opera pœnitentiæ; ac Clerici ieiunare ex hoc die incipiebant. Atq; vt poſt quinquageſimam annorum ſeruis olim manumiſsio dabatur, anno ſcilicet Iubilæi, ſic poſt quinquageſimam dierum his, qui peccatorum pœnitentiam verè egerint, è Diaboli ſeruitute libertas per Chriſti mortem, & reſurrectionem donatur. Venitur enim ad Paſcha per pœnitentiam. Rectè igitur hac Dominica Quinquageſimæ Deum Eccleſia pro his, quos peccatorum ſuorum pœnitet, orat, *exaudi clementer preces noſtras*] hæc verba ſuprà explicata ſunt. Quid autem precetur, ſubiungit, *& cuſtodi nos abſolutos à vinculis peccatorum ab aduerſitate omni*] & nos è vinculis peccatorum à peccatorum dolore tua gratia iuuante ſolutos ab omni re aduerſa tuere. Vincula peccatorum ſunt, quemadmodum ſuprà docuimus, & vincula, quibus nos Diabolus vinctos tenet, vt ne quid boni agamus; & obligationes pœnarum, quibus apud Deum iudicem, ac regem vniuerſorum ligati detinemur: ſed his nexibus pœnitentia nos ſoluit, atque cum Deo conciliat. Pœnitentiæ præcipua opera ſunt oratio, ieiunium, eleemoſyna contra peccata in Deum, nos ipſos, & proximum:

Domin. Septuag.

oratione Deum placamus, ieiunio nos ipſos punimus, eleemoſyna de proximo benemeremur. Aduerſitas opponitur proſperitati; qui elegantiæ latinæ linguæ ſtudent, pro aduerſitate dicunt res aduerſas. Res aduerſæ vulgò ſunt, quæ contra voluntatem eueniunt; proſperæ verò, quæ ad voluntatem fluunt: at nobis aduerſæ ſunt, quæ ſaluti animæ obſunt. Quarè quas vulgus ſecundas res vocat, nos, cùm animæ ſaluti officiunt, aduerſas vocamus. Officiunt autem ſæpè; quoniam ſæpè animus ſecundo rerum euentu inaniter exultans, è ſe ipſo in ſui, & Dei obliuionem exilit. Ergo diuinum imploramus auxilium contra res omnes aduerſas noſtræ ſaluti, ſeu commodas, ſiue incommodas huic vitæ. Nam incommodæ homines fragiles à iuſtitiæ via facilè detorquent: commodæ verò etiam ſapientum animos interdum intemperantiores reddunt. at, ſi Deus ſua nos gratia iuuerit, contra res omnes aduerſas in veritate, & Dei beneuolentia ſtabiles permanebimus.

DOMINICA PRIMA *quadrageſimæ.*

ORATIO.

Deus, qui Eccleſiam tuam annua quadrageſimali obſeruatione purificas, præſta familiæ tuæ, vt, quod à te obtinere abſtinendo nititur, hoc bonis operibus exequatur.

Q Deum

Deum oramus, vt Eccleſiæ ſuæ, quam ſingulis annis quadrageſimali ieiunio purgat, det bonis actionibus id perſequi, quod ab eo contendit abſtinentia obtinere.

Hæc Dominica prima Quadrageſimæ hoc inſignita priuilegio eſt, quoniam eſt initium acceptabilis temporis, dierumque ſalutis: in quibus nos in Dei famulatum pijs operibus inſinuamus, & pro culpis atque peccatis iuſto & clementi omnium iudici ſatisfacimus. Eſt enim hoc tempus aſſignatum pœnitentiæ; quæ Deum noſtris infenſum ſceleribus placat, eiuſq; voluntatem afflictis nobis, debilitatiſque conciliat. Quo quidem tempore Chriſti XL. dierum ieiunium ad redemptionis noſtræ myſteria piè celebranda totidem ieiunantes imitamur. Quare nullum hoc quadrageſimali ieiunium eſt maius, atq; ſacratius: in quo nonnulli cibi vetantur, qui in alijs non prohibentur: ac quadrageſimæ tempus ob quandam excellentiam ieiunium appellatur. Et quidem ante B. Gregorium Papam chriſtiani XXXVI. dies ieiunabant, incipientes ſequente hanc Dominicam feria ieiunare, tanquàm totius anni dierum decimas offerrent Deo: cui rerum omnium decimæ ſunt offerendæ. Sunt enim CCCLXV. dierum (tot quippe dies annum conficiunt) decimæ dies XXXVI. Verùm B. Gregorius ad imitandum Chriſti XL. dierum ieiunium his XXXVI. diebus IIII. adiecit, qui hanc Dominicam præcedunt.
3. Reg. 19 Sed & Helias totidem dies ieiunauit, antequàm in
Exod. 24 Dei montem Horeb aſcenderet; totidemque Moyſes, priuſquàm à Deo tabulas legis acciperet. Chriſtus verò,

rò, poſtquàm baptizatus eſt, antequàm in certamen cum Diabolo veniret, ac prædicationem ſalutis inchoaret, ieiunauit. Sed quæret fortè quiſpiam, ſi Chriſtus, ſtatim ac baptizatus eſt, ieiunauit, & XXX. poſt annos baptizatus eſt die, quo ſtella Magis apparuit, cur nos etiam non ſtatim poſt Epiphaniam ieiunamus? nimirum quia Chriſtus non eſt ſui, ſuorumuè peccatorum gratia baptizatus, à quo culpa omnis aberat, ſed vt noſtrum baptiſmum ſanctificaret: in quo peccatis morimur, & in æternam vitam regeneramur. Quoniam verò dum baptizamur, cùm Chriſto morimur, & reſurgimus, hanc ob cauſam Eccleſia decreuit adultos Sabbato die poſt paſſionem Chriſti, atque ante eius reſurrectionem baptizari: & quia pœnitentia baptiſmum antecedit, in quo cum Chriſto morimur, & reſurgimus, ideò B. Petrus Eccleſiæ princeps quadrageſimale ieiunium ante Chriſti reſurrectionem ſeruari ſanxit, vt cum Chriſto patiamur, antequàm cum ipſo regnemus. Nam ſi compatimur, inquit B. *Rom.8.*
Paulus, & conregnabimus. Neque aliter Iſraëlitæ, an- *Exod.12*
tequàm ederent agnum Paſchalem, agreſtes lactucas comedebant; vt amaritudinem dulcedo, & triſtitiam lætitia ſequeretur. Atque vt illi poſt XL. annos in deſerto, ſic nos poſt XL. dierum ieiunium Paſcha magnis lætitijs, ſolemnibuſque ceremonijs celebramus: vtque illi poſt XL. manſiones in terram promiſſionis venerunt, ſic nos poſt XL. dierum ieiunium ad gloriam reſurrectionis Chriſti venimus. Ac ſanè decet puris mentibus, & corporibus paſſionis, & reſurrectionis Chriſti ſacramenta colere, eiuſque ſanctiſſimum corpus ſumere. puri autem, & ſancti efficimur ieiunio. *Matt.4.*
Nec temerè ſcriptum eſt ab Euangeliſtis Chriſto poſt *et Mar.1*

ieiunium Angelos miniſtraſſe: quòd ieiunantibus cæleſtia & diuina munera donantur. Sapientiſſimè quoq; verno tempore, quò à natura homines ad libinem procliuiores ſunt, inſtitutum ieiunium eſt: quod ad reprimendam, frenandamque luxuriam plurimùm valet. Eſt Chriſtianorum duplex ieiunium, corporis, & ſpiritus: corpus ab eſcis, ſpiritus à peccatis abſtinet: ac corporis ieiunium ad ſpiritus ieiunium ſpectat. Fruſtrà enim corpus inedia conficit, qui flagitijs animum turpificat. An non & ab eſcis dæmones abſtinent? Illis ergo ſimiles ſunt, qui, ab eſcis abſtinentes, in animorum prauitate perſiſtunt. Cape librum Eſaiæ Prophetæ, lege caput LVIII. cognoſces corporis ieiunium ſinè ſpiritus ieiunio Deo minùs eſſe iucundum. Verùm licet commune ieiunium tam animi, quàm corporis ſit, tamen cùm ieiunium ſimpliciter dicitur, corporis ieiunium intelligi debet, quia magis notum omnibus eſt. Iam virtutes ieiunij, fructuſque ſpectemus: Neque enim tantùm animam, ſed etiam corpus ſanat, atque corroborat. Etenim varios morbos depellit, nocentes humores ſiccat, infirmam valetudinem confirmat: & eſt medicorum ad omnis ferè morbi curationem primum, optimumque medicamentum. Iudith mulier natura imbellis ieiunio tantas vires adepta eſt, vt maximi exercitus ferociſsimum ducem vicerit: & Eſther ieiunio pulchrior effecta, regi Aſſuero præ cæteris mulieribus placuit. Ieiunium carnis impetus reprimit, ſenſuum voluptates refrenat, libidinis ardorem reſtinguit, ſicut ille Comicus dicit, Sinè Cerere & Baccho friget Venus. Eſt ergo ieiunio caſtigandum corpus, & in ſeruitutem ſpiritus redigendum, atque ſanctificandum. Ieiunium conterit cor, atque humiliat,

Terent. in Eunucho.

liat, Deoque ſacrificat, vt peccatorum veniam obtineat. ſic Niniuitæ prædicatione Ionæ prophetæ moniti de diuina contra ipſos ſententia, cæleſtem iram ieiunio, & oratione mitigarunt. Ieiunium purgat crimina, ſatisfacit pro delictis, redimit æterna ſupplicia; neque ſolùm præterita delet, verùm etiam venientia peccata repellit. Ieiunium ortas ex malis cupiditatibus nubes diſsipat, caſtitatis, & veritatis lumen accendit, ſenſum acuit, mentem in cælum eleuat, atque ante diuinum conſpectum ſiſtit, & rerum diuinarum contemplationi aptiſsimam reddit. Ieiunio Daniel multas rerum arcanarum reuelationes habere, Moyſes tabulas legis accipere, & Helias in Dei montem aſcendere meruit. Et, vt tandem paucis diſputationem concludam, ieiunium virtutes omnes animo inſerit, nutrit, auget, atq; conſeruat. Ac meritò Eccleſia ſemper ante maximas ſolemnitates, & inſignia opera, atque in grauiſsimis neceſsitatibus celebrare ieiunia conſueuit. At quando multa de ieiunio diximus, de abſtinentia, ad quam pertinet ieiunium, pauca dicamus. Eſt abſtinentia temperantia quædam potus, & cibi: quæ nimirum tantum cibi, & potionis ſumit, quantum ad depellendam famem, & ſitim, atque ad reficiendas corporis vires ſatis eſt: caſtigat, non extinguit corpus; ſimulq; carnem, & ſpiritum ſua moderatione integros fouet. Ac rectè Eccleſiaſticus inquit, Qui abſtinens eſt, adijciet vitam. In multis enim eſcis (vt idem ait) erit infirmitas: ac propter crapulam multi perierunt. Abſtinentiæ opponitur Gula, nempe immoderata paſtus, & potus auiditas: quæ plures, vt legimus, occidit, quàm ferrum. Omitto libidinis ab immoderato potu, & cibo incitamenta: vt ſacra ſcriptura temperantiam mode-

Ionæ 3. *Cap. 10.* *Exod. 24.* *3. Reg. 19.* *Cap. 37.* *Ibid.* *Sap. 8.*

ratricem

ratricem voluptatum venerearum à moderato potu ſobrietatem appellarit. Omitto impuritatem hominum gulæ, ventrique deditorum omnibus elegantibus viris odioſam. Omitto etiam, quòd nimius cibus ſpiritum obtundit, quem acuit abſtinentia comes ſapientiæ; quæ in helluone nulla omnino eſt. Quis enim poteſt vino, ciboque onuſtus recta mente, & ſenſibus vti?

Daniel 1. Iuuenes illi Hebræi, qui in Nabuchdonoſor regis aula captiui cum alijs nutriebantur, abſtinentia robuſtiores, formoſiores, & ſapientiores euaſerunt alijs, qui regijs epulis veſcebantur. Gula hominem è paradiſo eiecit; eundem abſtinentia in cælum reducit. Iſraelitæ poſt intemperatum cibum, & potum ſurrexerunt ludere, atque idolis ſacrificare. itaque legis præuaricatio ſinè

Cap. 13. gulæ vitio non fuit. Ideò per Oſeam Dominus inquit; Saturati ſunt, & leuauerunt cor ſuum, & obliti ſunt

Luc. 21. mei. Quapropter nos Chriſtus monet, vt attendamus, ne grauentur corda noſtra crapula, & ebrietate. Fugiendus eſt igitur nimius paſtus, & potus; negligendæ lautæ nimis epulæ, præſertimque eæ, quæ Venerem cient; cohibenda inhians capiendo cibo appetitio. Sed & à puero aſſueſcere ſobrium eſſe multum eſt. Iam verò ieiunium, quod Eccleſia præcipit, addit ad abſtinentiam qualitates cibi, nimirum vt à carnibus, & lacticinijs abſtineamus; præſcribit horam comedendi, vt ſcilicet ſit ferè meridiana; ſancitque, vt tantùm ſemel in die comedamus. Hæc, quæ de abſtinentia, & ieiunio dicta ſunt, ad orationis verborum interpretationem, & ſententiarum explanationem faciunt. *Deus, qui purificas*] puram, ſeu mundam à peccatorum ſordibus, prauiſque affectionibus facis *Eccleſiam tuam*] tuorum fidelium conuentum, ſeu familiam tuam.

Quid

Quid ſit familia, & quæ Dei familia ſuprà expoſitum eſt. De Eccleſia permulta dicenda ſunt; ſed ne in vnum locum omnia congeramus, in alium commodiorem differimus. Illud tamen interim hic notare oportet Eccleſiam, quæ in inferiore hac mundi parte eſt, dici militantem, quòd cùm hoſtibus perpetuum bellum gerat; illam verò, quæ in cælis eſt, dici triumphantem, quòd de hoſtibus victoriam reportauit: hanc purificatione indigere; illam totam puram, & candidam eſſe. *obſeruatione quadrageſimali*] obſeruatio à verbo obſeruo frequenter pro notatione, ſiue animaduerſione ponitur; quia verbum obſeruo vt plurimùm notare, atque animaduertere ſignificat: hoc tamen loco ſignificat cuſtodiam, ſeu conſeruationem. nam & obſeruare interdum eſt idem, quod ſeruare, tenere, cuſtodire. Obſeruatio quadrageſimalis eſt XL. dierum ieiunij aſſeruatio: ſiquidem quadrageſima eſt tempus ieiunij, quod ad purificandos animos ſtatutum eſt. *annua*] non quæ vnius anni ſpacio continetur, quod ſpacium vox annua propriè ſignificat, ſed quæ ſingulis annis fit. *præſta familiæ tuæ*] concede Eccleſiæ tuæ. quam ſuprà vocauit Eccleſiam, hic vocat familiam. *vt exequatur*] ſeu perſequatur *bonis*] pijs, ſanctis, & religioſis *operibus*] ſiue actionibus id, *quod nititur*] ſiue enititur, aut contendit *obtinere*] ſeu conſequi *à te*] ſuo viuo, & vero Deo *abſtinenda*] abſtinentia, ſiue ieiunio: quod eſt opus abſtinentiæ. Quid autem, quæres, Eccleſia nititur à Deo impetrare ieiunio? videlicet peccatorum veniam, animorum purificationem, verorum gaudiorum adeptionem: vel vitiorum reſtinctionem, diuinarum rerum contemplationem, virtutum poſſeſſionem, & bonarum actionum fructum. Nam ob has potiſſimè cauſas ieiu-

Domi. 5. poſt Epiphaniã.

Dom. 14. poſt Pẽt.

nium

nium ab Eccleſia ſancitum eſt, ſcilicet vt libidinem reprimamus, mentem in cælum eleuemus; pro peccatis ſatisfaciamus. Quas ieiunij virtutes præclarè illa præfatio Miſſæ complectitur, Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris, & præmia. Poſtulamus igitur alias actiones cum ieiunio conuenire: nempe vt bonis alijs actionibus aſſequamur, quod adipiſci ieiunio contendimus.

DOMINICA SECVNDA *quadrageſimæ.*

ORATIO.

Deus, qui conſpicis omni nos virtute deſtitui, interiùs, exteriùſq́; cuſtodi, vt ab omnibus aduerſitatibus muniamur in corpore, et à prauis cogitationibus mundemur in mente.

Obteſtamur, & obſecramus Deum, vt nos à noſtris omnibus derelictos virtutibus intrà, extràque cuſtodiat, ita vt corpore contra rem omnem aduerſam fortes, & mente prauarum cogitationum puri ſimus.

Habet & corpus, & anima vires ſuas, quæ & potentiæ, & virtutes nominantur: verùm noſtris viribus reſiſtere aduerſis

aduerſis rebus non poſſumus; ſed opus eſt nobis diuina ope. hanc imploramus. *Deus, qui conſpicis omni nos virtute deſtitui*] hæc prima huius orationis verba congruunt cum illis Dominicæ Sexageſimæ *Deus, qui conſpicis, quia ex nulla noſtra actione confidimus*; & cum illis Dominicæ IIII. poſt Epiphaniam *Deus, qui nos pro humana ſcis fragilitate non poſſe ſubſiſtere*. nam qui imbecillis eſt, conſiſtere, ac ſua niti actione non poteſt. *deſtitui*] deſeri, ac derelinqui. *ab omni*] videlicet animæ, & corporis *virtute*] vi, ſiue potentia. Scio virtutis nomine ſignificari rectam animi qualitatem, ſeu laudabilem animi affectionem; ſed interdum, vt hoc in loco, notari vim, robur, atque potentiam nulli dubium ſit. Quia debiles, infirmi, & imbecilli ſumus, rogamus Deum *cuſtodi nos*] defende, ſerua, & tuere nos *interiùs, exteriuſque*] intus, & extrà, ſiue intrinſecus, & extrinſecus: vt *interiùs*] ſignificet animam, & *exteriùs* ſignificet corpus. Videturque mihi dictum *interiùs, & exteriùs*, perinde vt dicuntur ſenſus interiores, & exteriores. Interiores dicuntur, qui occulti, & reconditi ſunt: exteriores verò, qui aperti, & manifeſti ſunt. Ergo *cuſtodi nos interiùs, exteriùſque* eſt conſerua interiorem noſtri partem, & exteriorem; animam, inquam, & corpus. Id quod ex ſequentibus verbis clarum fit. *vt muniamur in corpore ab aduerſitatibus omnibus*] vt corpore firmi ſimus contra res omnes aduerſas: non vt illas non ſentiamus, ſed ne illis ſuccumbamus, atque cedamus. *& mundemur in mente*] mente, ſiue animo puri ſimus. *à prauis cogitationibus*] malis peruerſiſq; cogitationibus, quæ contra rectam rationem, & diuinam legem ſunt; atque (vt Salomon ait) hominem à Deo diuidunt; noſtrique animi nitorem contaminant. *Sap. 1.* Vide quem in ſenſum præpoſitio *à* trahenda ſit. non

enim oramus, vt aduerſitates corpus muniant, & cogitationes malæ mentem purificent, ſed vt in corpore contra res aduerſas diuina virtute muniti ſimus, & de malis cogitationibus mentem purgatam habeamus. Malæ enim cogitationes, præſertimque rerum venerearum valdè dignitatem animi violant, ſplendoremq; commaculant. Sed ad exponendum quid cogitatio, & quæ cogitatio praua ſit, parumper digrediamur. Præter quinque ſenſus exteriores inſunt homini tres ſenſus interiores, videlicet ſenſus communis, cogitatio, memoria: qui porrò ſenſus habent ſedes ſuas reconditas in cerebro: cuius anteriorem partem ſenſus communis, poſteriorem memoria, mediam obtinet cogitatio. Senſus communis res eas, quæ ſenſibus exterioribus obijciuntur, vnà cum ipſis ſenſibus percipit; atq; inſuper rerum perceptarum differentias ipſe cognoſcit. Cogitatio perceptarum à ſenſu communi rerum imagines inſpectat, atque inter ſe confert, ac ſuo quanque momento ponderat. ſiquidem eiuſdem potentiæ eſt cogitare, & æſtimare, ſicut eiuſdem intelligentiæ eſt res concipere, & de illis iudicare. ob quarum imaginum inſpectionem quidam cogitationem vocant non vſitato à veteribus latinis vocabulo imaginationem; quidam verbo græco phantaſiam. Memoria retinet atq; conſeruat rerum ſpecies à cogitatione ſibi oblatas. His imaginibus intelligentia ad cognoſcendas rerum naturas excitatur. Nam ſenſiles imagines corporeis conditionibus ſpolians, ipſas intelligibiles facit. Sic omnis noſtra cognitio hic in terris ortum habet à ſenſu. Itaque rerum ſpecies aliæ ſunt ſenſiles, aliæ intelligibiles: illas tractat cogitatio, has intelligentia: quæ etiam dicitur cogitatio, quatenus rerum intelligibi-

lium

lium ſpecies ſimul cogit, ipſarumque vires conſiderat. Quarè duplex eſt cogitatio, altera ſenſus, altera intelligentiæ. Et cogitationis nomen quandoque potentiam cogitandi, quandoque ipſum cogitandi actum ſignificat. Atque intelligentiæ cogitatio vel eſt contemplatio, vel conſultatio. Nam intelligentia vel rerum naturas tantummodò contemplatur, ipſa contenta inſpectione, vel inſpectionem refert ad aliquam actionem. In vniuerſum cogitare, cùm de intelligentia loquimur, idem eſt, quod meditari, hoc eſt mente animoque tractare. Cùm verò de interiore ſenſu loquimur, cogitare eſt rerum ſenſiles imagines conferre, ac de illis iudicare. neque hic ſenſus interior per ſe ratiocinatur, ſicut intelligentia; quia non percipit vniuerſales propoſitiones, è quibus pendet omnis ratiocinatio; quoniam vniuerſalia non comprehendit: verumtamen intelligentiæ ope adiuta quædam coniungit atque connectit. Oritur autem omnis cogitatio vel à ſenſu interiore, vel ab intelligentia, vt à propria, & proxima cauſa; oritur à corde, ſeu voluntate, vt à cauſa ſuperiore, quæ omnibus animæ viribus imperat; oritur à Deo, vt ab omnis motionis primo principio. Diabolus verò tantummodò ad cogitandum nos ſtimulat, vel rerum imagines in cerebro, aut in intelligentia commorantes excitando, vel, ſi cogitatio eſt ſenſus interioris, ſpiritus, & humores corporis commouendo, quorum commotio amicas cogitationes elicit. Et cogitationes, quæ à Deo ſunt, bonæ ſunt, quia bonus eſt Deus; quæ à Diabolo ſunt, malæ ſunt, quia Diabolus malus eſt; quæ à nobis ſunt, quandoque bonæ, quandoque malæ ſunt, prout benè, aut malè affecta voluntas eſt. Nam à voluntatis

R 2 bona,

bona, vel mala affectione mentis cogitatio qualitatem accipit. Et, quæ interioris ſenſus eſt, cogitatio, quatenus ſola vi naturali agitur, neque bona, neque mala eſt; ac deinceps appetitiones, quæ ab ipſa cogitatione cientur, ira, inquàm, & cupiditas, vt ſunt motus quidam naturales, neque bonæ, neque malæ ſunt; ſed quatenus ſubiecta eſt voluntati, motuſque eius poſſunt regi ratione, ſic & cogitatiò, & appetitiones ortæ à cogitatione laudantur, aut vituperantur, cùm rationi conſentiunt, aut diſſentiunt à ratione. Ideoque cogitationes, & appetitiones, quæ rationis aſſenſum, & voluntatis imperium anteuertunt, quia tunc in noſtra poteſtate non ſunt, neque vt bonæ laudantur, neque vt malæ vituperantur. Eſt autem bona cogitatiò, quæ de re bona eſt; mala verò cogitatio eſt, non quæ de re mala eſt; nam poteſt quis de re mala benè cogitare, vt ipſam euitet; ſed qua voluntas malè delectatur.
Cap. 1. Quam de re mala cogitationis delectationem Eſaias malum vocat, cùm monet, vt cogitationum noſtrarum malum auferamus. Et iurè noſtrum quenque
Cap. 4. Hieremias reprehendit dicens, Vſque quò morabuntur apud te cogitationes malæ? Nam ea, quæ homo cogitat, & vult, habet Deus pro factis. Quando igitur prauæ cogitationes mentem, & voluntatem inquinant, rectè à cogitationibus prauis in mente petimus emundari.

DOMI-

DOMINICA TERTIA
quadrageſimæ.

ORATIO.

Quæſumus omnipotens Deus, vota humilium reſpice; atque ad defenſionem noſtram dexteram tuæ maieſtatis extende.

Deum, vt preces humilium exaudiat, noſque ſuæ potentiæ dextera tueatur, oramus.

Hæc Dominica dicitur eſſe confeſſionis. Confitemur autem vel Dei laudem, cùm eius mira opera prædicamus, vel noſtra peccata, cùm ipſa cognoſcimus, & apertè fatemur, atque ignoſci petimus. Debet confeſſio peccatorum ex contrito, & humili corde prouenire, vt fructum ſuum ferat; qui eſt culparum remiſſio, ac cæleſtium gratiarum, virtutum, & donorum adeptio. Quibus bonis quia nos hoſtes multis modis priuare conantur, contra ſalutis noſtræ hoſtes diuinam opem, & auxilium precamur. Huius orationis verba ferè omnia in ſuperioribus orationibus explicata ſunt. Nam votum quid ſignificet in oratione Dominicæ I. poſt Epiphaniam oſtenſum eſt, nimirum precationem, & optatum: & quid ſit Deum aliquid reſpicere in oratione Dominicæ III. poſt Epiphaniam expoſitum eſt,

nempe

nempe fauere. In eadem quoque oratione quis ſit horum verborum ſenſus *dexteram tuæ maieſtatis extende*, dictum eſt, videlicet auxilium diuinæ potentiæ affer. & quod illic dictum eſt *ad protegendum nos*, hic dicitur *ad defenſionem noſtram*. Nam protectio idem eſt, quod defenſio; & protegere idem, quod defendere. Vna vox tantùm huius orationis non eſt vſquam à nobis explicata, ſcilicet *humilium*] Hæc vox non habet apud ſcriptores Chriſtianos eandem ſententiam, quam habet apud non Chriſtianos. Nam apud non Chriſtianos humilis eſt, qui vel obſcuro loco natus eſt, vel fractum, & demiſſum animum gerit, opponiturque nobili, & magnanimo; apud Chriſtianos verò humilis ſuperbo opponitur: quanquàm interdum ſignificat hominem ab aliqua re perculſum, atque iacentem. Superbus enim eſt arrogans, ſibi plurima ſumens, omnibus ſeſe præferens, nulli patiens obedire: humilis verò nihilum ſibi ſumit, qui nihil ex ſe boni habere ſe cognoſcit, & quod habet, id à Deo ſe accepiſſe fatetur, prædicans cum B. Paulo
1.Cor.4. Quid habes, quod non accepiſti? Ideoque nemini ſe præfert, ſuamque vilitatem, egeſtatem, & infirmitatem agnoſcens, in Deum oculos ſemper intendit, cui ſemper adhærere deſiderat. Ergo *humilium* interpretaberis ſuam infirmitatem, & egeſtatem cognoſcentium, ac proſtrato corpore, & animo peccatorum veniam demiſsè, ac ſuppliciter deprecantium. Ac porro humilis eſt & iuſtus, & pius: iuſtus quidem, quia Deo refert acceptum quicquid in ſe boni habere cognoſcit; pius verò, quia ſemper oculos intentos ad Deum in cælum habet, vnde veniat auxilium ſibi. Mihiq; humilis Chriſtianus, qui res terrenas deſpicit, & in cælum ſeſe attollit, præque illius regni gloria hæc, quæ homines magni-

magnificiunt, pro nihilo ducit, verè magnanimus eſſe videtur, & maiorem animum gerere, quàm huius ſeculi amatores, atque ſuperbi. Sed quis, ac qualis ſit humilis planiùs intelligetur, cùm de humilitate virtute, quam odit Dæmon, & ignorat Mundus, dicemus. *Domin. Palma.*

DOMINICA QVARTA
quadrageſimæ.

ORATIO.

Concede, quæſumus, omnipotens Deus, vt qui ex merito noſtræ actionis affligimur, tuæ gratiæ conſolatione reſpiremus.

Deum rogamus, vt ſua nos gratia conſoletur, qui iure ob noſtras actiones affligimur.

Hæc Dominica eſt principium alterius mediæ partis ieiunij quadrageſimalis: & Eccleſia, vt ieiunantes ſoletur, atque in actibus pœnitentiæ confirmet, legit Euangelium, in quo narratur Chriſtum in deſerto loco de quinque panibus, & duobus piſcibus quinq; millia hominum ſatiaſſe. quia ſi de quinque panibus, & duobus piſcibus tantam hominum multitudinem ſatiauit, & nos ieiunio debilitatos, ac multis malis afflictos ſuo cæleſti pane, qui eſt diuina gratia, recreabit. Quarè dicitur hæc Dominica eſſe refectionis: totumq;

totumq; huius diei officium plenum eſt lætitiæ, ac gaudiorum. quam recreationem & conſolationem efflagitamus. *Concede*] præſtare, facere, dare, concedere idem ſignificant: & in his orationibus promiſcuè vnum pro alio ponitur. *Vt nos, qui affligimur*] deprimimur, ac proterimur multis, ac varijs malis, miſerijs, & ærumnis: neque iniuria, ſed *ex merito noſtræ actionis*] ob merita noſtrarum malarum actionum, hoc eſt ob noſtras malas actiones. Nam propter malas actiones meremur affligi. Meritum eſt factum, cui debetur alicuius boni, maliue retributio. vnde benemeritum, & malemeritum dicimus. quandoque ſignificat mercedem, quam facinus aliquod meretur, ſiue præmium, ſiue pœnam. Ergo ex merito noſtræ actionis interpretaberis vel propter noſtram actionem promerentem afflictionem; vel ſecundum mercedem noſtræ actioni debitam. Dicitur actio numero ſingulari loco generis, quo omnes actiones comprehenduntur; dicuntur actiones, quæ ſub actione, tanquàm ſub genere, collocantur. Quarè idem eſt dicere merito noſtræ actionis, ac meritis noſtrarum actionum. Qualis ſit autem hæc noſtra actio, ex verbo affligimur intelligitur, videlicet mala. non enim afflictio eſt merces bonæ, ſed malæ actionis. Quæ ſit mala actio ſuprà explicatum eſt. *reſpiremus*] recreemur, atque animum erigamus: etſi reſpirare interdum ſignificat anhelare, ſpirare, ſpiritum ducere. *conſolatione gratiæ tuæ*] tua nos gratia conſolante, hoc eſt leuante, minuenteque dolorem. hoc enim conſolari ſignificat. Gratiam intellige donum, quo Deus afflictum hominis animum ſubleuat, atque confirmat. Ergo gratiæ conſolatio eſt diminutio doloris, quæ à diuina gratia eſt.

Dom. intra Oct. Natiuit. et Dom. Septuag.

DOMI-

DOMINICA PAS-ſionis.

ORATIO.

Quæſumus, omnipotens Deus, familiam tuam propitius reſpice, vt, te largiente, regatur in corpore, &, te ſeruante, cuſtodiatur in mente.

Deum quæſumus, vt familiam ſuam reſpiciat, eiuſque regat ſua benignitate corpus, & ſeruet ſuo præſidio mentem.

Hæc Dominica dicitur paſſionis, quia hoc die incipit Eccleſia dare operam funeri Domini noſtri Ieſu Chriſti: quod duabus hebdomadis facit tum ad regis noſtri regio more cohoneſtandas exequias, tum ad eius charitatem in noſtris animis excitandam mortis eius memoria, qui pro noſtra, omniumque ſalute ſummo cum dolore, & dedecore mori appetiuit. quam mortem ſcriptores ſacri à plurimorum, maximorumq; dolorum cruciatu paſſionem vocant. Ac licet Chriſtus, quà homo erat, Dei frueretur aſpectu, eſſetque beatus; tamen hæc beatitudo diſpenſatione diuina in ſuperiore tantùm animæ parte continebatur, neque

in inferiorem partem, & ſenſus corporis, ni diuino permiſſu, redundabat. itaque pars inferior humanos gerebat affectus, & corpus laboribus, & doloribus, ac diſſolutioni obnoxium erat. Quarè, quòd paſſus, & mortuus ſit pro noſtra ſalute, diuino conſulto factum eſt. Hanc Chriſti paſſionem ſemper retinere memoria debemus, tum ne redemptionis noſtræ beneficij ſimus immemores, & in Deum ingrati videamur, tum vt pro Dei nomine, ac noſtra ſalute diſcamus Chriſti tot, & tanta paſſi exemplo res aduerſas pati, ac voluptatum illecebras contemnere, penituſque odiſſe peccata, quæ Domini noſtri crudeliſſimæ mortis cauſa extiterunt. Nec certè quicquàm eſt omnium ſanctorum hominum ſententia, quod à peccatis hominem magis retrahat, quàm Ieſu Chriſti paſſionis memoria. Libet autem hic pauca de Domini noſtri paſſione dicere, nè in ſequentis Dominicæ orationis explicatione longiores ſimus: hic mortis genus, & qualitatem, illic vtilitatem, fructumque conſiderabimus. Chriſti paſſio mortis genus habuit maximè ignominioſum, atque crudele. Nam crucis ſupplicio nullum vnquàm fuit magis turpe, atque probroſum, qua damnati ſerui afficiebantur, in quam ſicarij, & latrones tollebantur, cui ſceleſtiſſimi quique affigebantur. ob idq; à Iudæis maledictum eſſe cenſebatur, qui in crucem
Deut. 21. actus eſſet: & Chriſtus maledictum factus eſſe per-
Galat. 3. hibetur, quia ſublatus in crucem eſt. Faciunt quoq; ad mortis eius ignominiam illuſiones, irriſiones, iniuriæ, calumniæ, contumeliæ, maledicta, quibus à Iudæis, & Gentibus in ipſa morte affectus eſt. Nam vt amens coronatus ſpineis ſertis pro diademate, indutus purpurea chlamyde pro regio indumento, iuſſus manu

arun-

arundinem pro ſceptro tenere. Tum ſputis, alapis, colaphis, pugnis, calcibus, virgis fœdatus, percuſſus, cæſus, tunſus, conſciſſus, verberatus diem, & noctem eſt, quaſi omnium, quotquor eſſent, ac fuiſſent vnquàm, ſceleſtiſſimus, & impuriſſimus hominum. Adhæc contemptus, quòd Dei filius à quo percuteretur ignoraret; nec ſeipſum ſaluum faceret, qui alios ſaluos feciſſet. Inſuper vexatus falſis criminibus, laceratus petulantibus conuicijs, fixus intolerabilibus probris, oneratus multis, & varijs malis eſt præter ius, faſque omne. Falsò accuſatus, quòd prohibuiſſet tributa dari Cæſari; quòd dixiſſet tribus ſe diebus reædificaturum templum, ſi illud diruiſſent; quòd à patrijs moribus, & legibus Iudæam gentem nouis doctrinis, & vitæ inſtitutis auerteret; quòd viui, & veri Dei filium ſe prædicaret, qui mortalis, vt cæteri, & omnium egentiſſimus eſſet. Vidimus ignominiam, & dedecus mortis, intueamur acerbitates, dolores, & cruciatus. Porrò vt ſupplicium crucis eſt maximè ignominioſum, ſic etiam acerbiſsimum eſt. Nam vola manus, & planta pedis præ cæteris corporis partibus aliorum corporum appulſus, ictuſque perſentiunt. Quarè Chriſtum, ferro manibus, pedibuſque transfixis, maximum dolorem ſenſiſſe credendum eſt. Pendentis quoque corporis pondus auxit ipſum dolorem: quem etiam longiorem fecit, non ſinens citò vitam finiri, ſupplicium. Et, totum eius corpus ſi rectè inſpiciemus, à planta pedum vſque ad verticem capitis nullam in eo ſanitatem eſſe cernemus. Caput perforatum ſpinis, aures plenæ conuicijs, oculi miſerabilium, & horribilium rerum aſpectu triſtes, nares loci fœtore oppletæ, guſtus felle, & aceto immutatus, genæ contuſæ alapis, manus, & pe-

des ligno clauis ferreis affixi, dorſum contritum plagis, latus confoſſum lancea, totum denique corpus ſordidum, ſqualidum, & ſuo cruentatum ſanguine eſt. Placet quoſdam verſiculos hic annectere, quos, dum affixum cruci Chriſtum contemplaremur, compoſuimus.

AD IESVM CHRISTVM CRVCI AFFIXVM,

CARMEN.

Dulcis Ieſu
Quis tua ſpinis
Tempora demens
Cinxit acutis?
Quis ſacra ferro
Fixit iniquo
Brachia ligno?
Quis latus haſtæ
Cuſpide fodit
Impius hoſtis?
Quæ manus vno
Perdidit ambas
Vulnere plantas?
Cur tibi multo
Sanguine corpus
Vndique manat?
Vt tua ſoluam
Vincula, ſanem
Vulnera, pectus
Molliam, & ipſam
Dem tibi vitam.

Atque ob corporis optimam compoſitionem, quia tactus in eo maximè mollis, & lenis fuit, omnium dolorum cruciatum maximè perſenſit. Ac certè, ſi omnia pœnarum genera, quæ ſuſtinuit, ſimul ſpectentur, præ omnibus martyribus grauiores dolores, & acerbiorem mortem pertulit, vt verè dicat, O vos omnes, qui *Thren. 1.* tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus. Quid, quod maiorem dolorem animo percepit Iudæorum iniquitatem, & immanitatem inſpiciens, ac damnandorum hominum multitudinem intuens; qui ſanguinem ſuum redemptionis pretium

nihili

nihili factori eſſent, quàm corpore ſenſit tot, tantiſq; tormentis, ac cruciatibus appetito? Nec ſi Christus metum aliquem mortis, atque triſtitiam oſtendit, ideò minùs fortis habendus eſt. Nam ad declarandam, quam ſumpſerat, naturam humanam hos affectus expreſſit: cæteroquin fortiſsimè, ac libentiſsimè pro humani generis ſalute mortem occubuit; quem Spiritus ſancti cæleſtis fortitudo roborauerat, & ad moriendum ingens erga nos charitas impulerat. Rogemus igitur Deum, vt nos in omnibus noſtris actionibus tam animi, quàm corporis regat, qui ad ſaluandas noſtras animas, & corpora in terras venit. *Reſpice propitius familiam tuam*] complectere tua beneuolentia, & charitate tuam Eccleſiam. Hæc omnia verba in ſuperioribus orationibus explicata ſunt. *vt regatur in corpore te largiente*] vt tua largitate & benignitate in actibus corporis regatur: quos nimirum in tuam gloriam, & honorem dirigas. *& cuſtodiatur in mente te ſeruante*] & vt tua cuſtodia, & præſidio mens à malis cogitationibus, affectionibuſque ſeruetur. Niſi enim Dominus cuſtodierit noſtrum animum, omnis noſtra cura, & diligentia inanis erit. Hæc oratio conſimilis eſt orationi Dominicæ I. Quadrageſimæ.

DOMINICA PALMARVM.

ORATIO.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui humano

generi

generi ad imitandum humilitatis exemplum Saluatorem noſtrum carnem ſumere, et crucem ſubire feciſti, concede propitius, vt patientiæ ipſius habere documenta, et reſurrectionis conſortia mereamur.

Deum patrem, qui, vt haberemus, quod imitatemur, humilitatis exemplum, filium ſuum hominem fieri, & mortem crucis oppetere voluit, precamur, vt benignè nobis concedat eius filij & patientiæ imitatores, & reſurrectionis eſſe conſocios.

Hæc Domica multis nominibus notatur. Dicitur enim maior, quoniam longius officium habet: dicitur pœnarum ob pœnas, quas Chriſtus paſſus eſt: dicitur pœnitentiæ, quia pœnitentes hoc tempore abſoluuntur: dicitur palmarum, ſiue oliuarum à palmarum, ſiue oliuarum ramis, quibuſcum pueri Hebræorum ouantes Chriſto Hieruſalem venienti obuiam prodierunt, quaſi prænunciantes triumphum, quem Chriſtus filius Dauid de morte, & Diabolo paucis poſt diebus eſſet acturus. Ingreſſus eſt autem Hieruſalem Luna decima: quo die paſchalis agnus in ipſam vrbem inducebatur. Atq; hoc ipſo die, quo Chriſtus Hieruſalem cum tot lætitiæ ſignis ingreſſus eſt, Iſraëlitæ olim, ſicco pede tranſmiſſo fluuio Iordane, terram promiſsionis intrarunt. Collecta, Epiſtola, Euangelium omnia ſunt de paſſione

ſione Chriſti: cuius mortis ignominiam, & acerbitatem ſuprà oſtendimus; hic eius vtilitatem, & fructum perſequemur. Fructus, quem Chriſti paſsio attulit, eſt ſalus generis humani, quod in Diaboli ditionem, & poteſtatem redactum fuerat à primi parentis crimine, detinebaturque vinculis peccatorum, & nexibus debitarum peccatis pœnarum vinctum: atque conſtrictum in caliginoſo ignorantiæ carcere, iacens in craſſis tenebris, ſqualore ſordidum, bonis omnibus egens, Deo & Angelis eius odioſum. Ipſum Chriſtus non rebus corruptibilibus auro, & argento, ſed ſuo pretioſo ſanguine redemit, ſolutumque vinculis peccatorum, & in Dei patris gratiam reſtitutum aperto cæli oſtio in æternorum bonorum hæreditatem induxit. Nec quidem vnquàm nobis per aliam hoſtiam, quàm per Chriſti mortem regni cæleſtis aditus patuiſſet; neque vllo alio, quàm immaculati agni vnigeniti filij Dei ſanguine abluti, & ſanctificati, & iuſtificati fuiſſemus. Non enim Deus carnes taurorum manducat, aut hircorum ſanguinem bibit, neq; oblationes alias, & holocauſta præter filij ſui ſacrificium voluit. Cuius corpus licet à beatitudine animæ immortale extitiſſet, tamen vt eſſet mortale, & immolationi aptum, diuina diſpenſatione factum eſt. Videturque mihi à morte Chriſti hoc hominibus irrogatum priuilegium, quod apud Hebræos olim irrogatum exulibus fuerat; nimirum vt poſt mortem Pontificis cuiq; in ſuam patriam, à qua exulabat, redire liceret. Chriſtus quippe verè ſummus Pontifex eſt, qui ſeipſum pro nobis obtulit Deo viuentem, ſanctam, & placentem hoſtiam: idemq; Deus, & homo, Dei, & hominum mediator homines Deo reconciliauit. Atque vt Moyſes ex alto ligno ſerpentem

1. Pet. 1. *Pſ. 49.* *Nume. 35. et Ioſue 20.* *Gal. 3. & 1 Tim. 2.* *Nu. 21.*

& Io.3. pentem æneum in deſerto ſuſpendit, in quem qui anguis ictu vulneratus inſpiceret, ſanaretur, ſic Deus filium ſuum ligno crucis in ſublime extulit, in quem qui crederet, languentis peccato animæ ſalutem reciperet. *Exod.12.* Vtque etiam in Aegypto domus, cuius limen agni paſchalis ſanguine illitum erat, à deuaſtante Angelo tacta non eſt, ſic qui Chriſti ſanguine tincti ſunt, *Gen.7.* diuinam iram effugiunt. Atq; etiam vt in vniuerſæ terræ eluuie ij tantùm ſuperſtites fuerunt, qui Noë arca vehebantur, ſic vna crux Chriſti per hoc fluctuoſum mare nos in tranquillitatis, & ſecuritatis portum incolumes vehet. Quamobrem etſi nobis grauiter dolendum eſt de multis, magniſque cruciatibus, quos Dei filius pro peccatis noſtris pertulit, tamen valde lætandum etiam eſt de ſalute, & vita, quam nobis mors eius attulit. Sed quæri ſolet à quibuſdam, ſi Deus alia via, quàm per turpiſsimam, & acerbiſsimam filij ſui mortem poterat humanum genus ſaluare, cur hanc viam potiùs, quàm aliam iniuit? nimirum vt *Rom.5.* ſuam charitatem nobis magis, magiſque commendaret, quòd pro nobis inimicis ſuis vnicum filium ſuum ignominioſiſsimæ, ac crudeliſsimæ morti tradidiſſet; vnde noſtros animos ad ipſum redamandum incenderet: tum vt filij ſui exemplo nos ad amplexandam humilitatem inſtrueret; à qua Diabolus hoſtis veri- *1.Cor.1.* tatis, & obedientiæ maximè abhorret. Ac B. Paulus Apoſtolus diuinorum myſteriorum acerrimus contemplator in paſsione Chriſti duas virtutes potiſsimè contuetur, ſcilicet fortitudinem, & ſapientiam; quæ contra Iudæorum, & Græcorum impietatem faciunt: quorum alteri infirmitatem, alteri ſtultitiam Chriſto crucifixo obijciunt. Nam quanta fuerit Chriſti in cruce

poten-

potentia in hoc cernimus, quòd mortem, & Diabolum tot mala perferendo, & moriendo deuicit. Quòd ſi tantùm potuit infirmitas Chriſti, quantum poterit vis eius, atque potentia? Ergo fortius eſt omni virtute id, quod infirmum eſt Deo: quando infirmitas Chriſti perditum hominem ſaluauit, quem neque humana, neque angelica vis vlla ſaluare vnquàm potuiſſet. Saluandi quoque hominis ratio plena conſilij & ſapientiæ fuit. Cùm enim ſola ſua poteſtate liberare hominem potuiſſet, potentia vti noluit, ne quid à quoquàm diuinæ iuſtitiæ derogaretur; Diabolusque vi, non iure ſibi ereptum hominem conquereretur; ſed filium ſuum in terras miſit, qui carnem aſſumeret, ac factus homo pro homine, qui peccauerat, & Deus Deo plenè ac cumulatè ſatisfaceret. Inſuper in ligno mori elegit, vt eundem, qui hominem in ligno vicerat, in ligno deuinceret, atque artem arte deluderet. Exaltatuſq; in ligno ad ſe ipſum omnia traxit, factus omnium dominus. Videturque mihi Chriſtus cruci affixus tanquàm ſcopus quidam omnibus propoſitus, in quem vniuerſi cunctas ſuas cogitationes, & actiones intendant, vt tranquillè & quietè viuant. Ego (vt de me ipſo loquar) neque in tentationibus præſidium, neque in laboribus perfugium, neq; in doloribus ſolatium Chriſti cruce maius vllum inuenio: quam quò magis amplector, eò tutior ab omnibus aduerſarijs, & quò magis contemplor, eò ſapientior mihi eſſe videor; quia res terrenas magis deſpicio, conſectorque cæleſtes. Vtinam mihi detur Chriſti cruci ſic affigi, vt nulla re vnquàm ab ipſa quicquàm diuellar; florentiſſimum, & beatiſsimum me putabo. Fac tu bone Chriſte mihi tua cruce ſignum in bonum, vt videant, qui oderunt me, *Pſ.85.*

T dæmo-

dæmones, & confundantur. Sed orationem interpretemur. *Deus* pater, *qui feciſti*] non imperando. non enim Deus pater Deo filio maior eſt poteſtate; neque par habet in parem imperium. ſed communi mente volendo: quia communis totius Trinitatis ſententia fuit ad ſaluandum genus humanum, vt Deus filius fieret homo, ac pro hominis peccato ſatisfaceret. Cuius ſententiæ caput dici poteſt pater Deus, quatenus ipſe eſt diuinarum perſonarum principium. Factus autem homo Deus filius, quà homo, maioris ſe patris mandatis obtemperauit. *Saluatorem noſtrum*] Ieſum Chriſtum vnicum filium tuum, authorem, datoremque noſtræ ſalutis. Huius vocis vim & ſententiam ſuprà explicuimus. *ſumere carnem*] ſiue incarnari, aut hominem fieri. nam caro pro toto homine per figuram ſynechdochen, quæ partem pro toto dicit, poſita eſt. Cur autem filium Dei potiùs carnem partem hominis ignobiliorem ſumpſiſſe, quàm animam partē nobiliorem ſacra ſcriptura dicat, ſuprà explicuimus, vbi de eius aduentu, ſiue incarnatione loquuti ſumus. *& ſubire crucem*] abire in crucem, & in ea mori non inuitè, ſed ſpontè. Voluit enim Pater, vt Filius mortem, & hanc in cruce obiret; voluit & Filius ipſam obire. Neque enim pro nobis ſatisfeciſſet, ſi inuitò mortem obijſſet. Ob idque multis modis ſignificauit ſe non coactè, ſed ſpontè, cùm ſibi placuiſſet, moriturum. Nam ex inimicorum manibus ſe, quando voluit, eripuit; &, quando voluit, permiſit ſe ab illis capi, & cruci affigi. Itaque legimus, Oblatus eſt, quia ipſe voluit: & per Hieremiam ipſe inquit, Dedi dilectam animam meam in manibus inimicorum meorum: & in Euangelio Ioannis, Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam. Illa verò

Domi. 1. Aduent.

Eſa. 53.
Hier. 12.
Cap. 10.

rò neceſſitas mortis Chriſti, quam in ſcripturis ſacris legimus, vt ibi, Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare *Luc. 24.*
in gloriam ſuam, non eſt neceſſitas coactionis, ſed diuini conſilij; quod nulla ratione mutari poteſt. *generi humano*] propter genus humanum, ſiue in hominum vtilitatem, atque ſalutem. Genus pro ſpecie poni à doctis viris clarum eſt, nec ſinè ratione; quia continet indiuidua, vt genus ſpecies. Igitur cùm genus humanum dicimus, humanam ſpeciem intelligi volumus, ipſos inquàm homines. *ad imitandum exemplum humilitatis*] vt haberent homines exemplum, ſeu documentum, aut ſpecimen, quod imitarentur, humilitatis. Quidam diſtinguunt exemplar ab exemplo: vt exemplum ſit, quod ex alio ſumitur; exemplar verò, è quo aliud ſumitur. hoc pacto humilitas Chriſti eſt exemplar. ſed vtimur vtroque nomine promiſcuè pro eodem. Scitoque non eſſe Chriſtianum, qui virtutes Chriſti non imitatur, præſertimque humilitatem omnis boni caput: quam vt potiſſimè imitemur, ipſe nos monet illis verbis, Diſci- *Mat. 11.*
te à me, quia mitis ſum, & humilis corde: atque ipſe adeò humilis eſt, vt de ſe dicat, Ego ſum vermis, & *Pſ. 21.*
non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Ac profectò veræ humilitatis perfectiſſima forma in Chriſti morte expreſſa eſt. Etſi enim tota Chriſti vita omnium virtutum norma, & imago fuit, præcipuè tamen fuit humilitatis: quam quidem & in ortu, & in progreſſu magnam, ſed in exitu vitæ maximam oſtendit. Et quidem prima omnium extirpanda fuit ſuperbia noſtræ radix, & origo perniciei, vt vitam, & ſalutem recuperaremus. Nec tanta ſuperbia è cælo concidit Dæmon, quanta nos in cælum humilitate Chriſtus erexit. Hoc ergo (vt B. Pauli verbis vtar) ſentiamus in *Philip. 2.*

nobis, quod & in Chriſto Ieſu: qui, cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemet ipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſemet ipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Huius equidem humilitatis contemplatione nullam arbitror eſſe ſuperbiam, quæ non penitus contundatur, atque frangatur. *Concede propitius*] da nobis tuum fauorem, & gratiam, *vt mereamur*] nam ſinè diuina gratia nihil, quod ad bonam, beatamque vitam faciat, poſſumus promereri. Documentum ſignificat exemplum, præceptum, monimentum. Habere documentum eſt vti exemplo; vel tenere, & ſeruare præceptum. Seruat documentum patientiæ Chriſti, qui res aduerſas, & aſperas propter iuſtitiam æquo animo patitur. Inquit documenta, quia multiplicis patientiæ Chriſti multa ſunt exempla, & monimenta. Patientia quandoque eſt pars altera fortitudinis, quandoque eſt ſingularis quædam virtus, ipſius aſſecla fortitudinis. Sunt quippe duo munera fortitudinis, alterum ſpectatur adeundis audacter periculis mortis, alterum toleranda fortiter morte. nam verſatur circa grauiſſimum malum, cuius metus facilè poteſt hominem ab honeſtate, & Dei charitate auertere. hoc autem malum eſt mors. Mortis tolerantia dicitur etiam patientia. Circa minora mala verſatur ſingularis quædam virtus imitatrix fortitudinis, quatenus res aduerſas conſtanter ſuſtinet: vocaturque etiam ipſa patientia. Itaq; patientia, cùm eſt mortis tolerantia, eſt pars fortitudinis; cùm eſt aliorum minorum malorũ, eſt ſingularis quædam ad fortitudinem pertinens virtus. Patientia Chriſti non ſolùm fuit minorum malo-

rum,

rum, contumeliarum, vinculorum, virgarum, ſed etiam ignominioſiſſimæ, & acerbiſſimæ mortis. Rectè igitur petimus habere documenta patientiæ Chriſti, vt non ſolùm minora, ſed etiam maiora, & cuiuſuis generis mala fortiter ſuſtineamus. Ac certè nullum malum eſt, quod Chriſtus in ſua morte non æquiſſimo, & lubentiſſimo animo ſuſtinuit: qui tanquàm agnus ad occiſionem ductus eſt; nec vnquàm os ſuum aperuit; ſed & pro inimicis ſuis Deum patrem orauit. Hæc, quæ de patientia ſtrictim diximus, infrà latiùs explicabuntur. *& conſortia reſurrectionis*] & ſocietates reſurrectionis, hoc eſt mereamur cum ipſo reſurgere, & eorum bonorum participes eſſe, quæ in ſua ipſe reſurrectione adeptus eſt. Hæc quidem bona ſunt libertas è vinculis peccatorum, & gloria immortalitatis: quorum cauſa dicimus conſortia reſurrectionis. Verumtamen cùm Chriſto non reſurgit, qui cum Chriſto non patitur. Sic enim ait B. Paulus, Si ſuſtinebimus, & conregnabimus. Eſt enim ex paſſionis merito reſurrectio. De Chriſti reſurrectione, & reſurrectionis bonis in ſequente oratione dicemus: interim mihi liceat parumper digredi ad euoluendam humilitatis naturam, & patientiæ; atque ad oſtendendum paſſionis Chriſti meritum; vt, quæ de humilitate, patientia, & paſſione Chriſti dicta ſunt, cuncta enodata cernantur. Humilitas, cùm de hominibus dicitur, apud latinos ſignificat modò generis ignobilitatem, modò animi ad res viles, & homine ingenuo indignas abiectionem; vnde quidam cenſent humilem dictum quaſi humi accliuem: in ſcripturis ſacris verò nunc animi ab aduerſa re aliqua depreſſionem; quæ vel ad eius domandam ſuperbiam, vel ad eius probandam patientiam ipſi contingit; vnde humiliari

Iſa. 53.
Luc. 23.
2. *Tim.* 2

liari pro deprimi, & affligi ponitur; nunc virtutem ſignificat, qua ſe homo cognoſcens ex ſe miſerum eſſe, ac bonorum omnium egentem, & quicquid habet boni à Deo accepiſſe bonorum omnium authore, nihil ſibi arrogat, ſed, ſua confitendo peccata, diuinæ ſe ſubijcit poteſtati : atque etiam alijs propter Deum ſe
Phil.2. ſubmittit; quos ſecundum B. Pauli ſententiam ſuperiores ſe arbitratur, dum in illis diuinas virtutes, &
Gen.18. dona conſiderat. Dicit cum Abraham, Loquàr ad Dominum meum, cùm ſim puluis, & cinis? & cum Da-
Pſ.38. uid, Subſtantia mea tanquàm nihilum ante te : aduer-
Cap.64. titque cum Eſaia omnes ſuas iuſtitias eſſe tanquàm pannum menſtruatum. Ideoque ſuæ conſcius infirmitatis, & egeſtatis, nullam appetit laudem, nullum ambit honorem, non miniſtrari, vt maior, ſed miniſtrare
Mat.18. volens, vt minor; fitq; his paruulis ſimilis, quos Chriſtus venire ad ſe vult, aduocatque ad ſe. quibus qui ſimilis non fit, nunquàm in regnum cælorum intrabit. At ſuperbus ſemper ſuam, nunquàm aliorum conſiderans præſtantiam, iactat ſe habere, quæ non habet; adſcribitque ſibi, quæ ſua non ſunt, ac ſe omnibus præferens, nemini patitur eſſe ſubiectum. Semper ſtudet magni fieri, ſemperque cum Diabolo cogitat ſedem ſuam in altiſſimo loco ponere. Sed qui Diabolum è cælo deiecit, etiam imitatores Diaboli ſeſe temerè extol-
1.Pet.5. lentes deijcit, opprimitque: humilibus verò dat gratiam; eoſque exaltat, vitam ipſis, & gloriam donando ſempiternam. Oritur itaque humilitas ex ſui, & Dei cognitione: regitque animum, ne ſe inſolenter attollat, ſed ſe Deo ſemper ſubijciat, & obediens ſit. Ob idq; humilitas ad timorem, donum Spiritus ſancti pertinet, quo Deum reueremur, & colimus. Quamobrem

humi-

humilitas à Beato Bernardo definitur virtus, qua quis veriſſimè ſui ipſius cognitione ſibi vileſcit: & à B. Thoma, Virtus animum frenans, ne immoderatè tendat in excelſa. Tendit humilis in alta, non in ea, quæ Deus à longè cognoſcit, ſed in ea, in quibus Deus inhabitat: nec ſuis fretus viribus, ſed diuinis confiſus opibus tendit. Eſt humilitas initium viæ, quæ ducit ad cælum; quia eſt initium pietatis. eſt chriſtianæ vitæ principium; quoniam ad omnes virtutes animum componit. eſt ſpiritualis ædificij fundamentum, quatenus ex animo ſuperbiam euellit, cum qua nulla virtus habere commercium poteſt: eiectaque ex animo ſuperbia, & iniecta vera fide, hoc firmiſſimo fundamento perfectè omnis conſurgit ædificatio. Quamobrem Chriſtus in ipſo matris vtero humilitatem induit, & vſque ad mortem geſſit, vt ſuperbiam debellaret, & nouam vitam induceret. Dicendum iam eſt de patientia. Ad vincenda mala, quæ noſtræ ſunt aſpera naturæ, quæque nos à recta ratione detorquent, duæ præcipuæ virtutes nobis præſtò ſunt, fortitudo, & patientia: fortitudo circa maximum malorum, quod eſt mors; patientia circa reliqua minora mala verſatur. Fortitudo mortem non ſolùm æquo, verùm etiam conſtāte animo perfert, neq; ſolùm perfert, verum etiam illius periculis ſeſe infert. proinde vincit etiam timorem. patientia tantùm præſentia mala æquo animo ſuſtinet; cohibetq; triſtitiam, quæ animum turbat, ne ſui potens ſit: quanquàm mortis tolerantia etiam patientia nominatur. itaque patientia nunc pars eſt fortitudinis, cùm mortem tolerat, nunc ſingularis quædam virtus, cùm alia minora mala ſuſtinet, comes fortitudinis, quam, res difficiles, & malas tolerando, imitatur. Et quia non ſolùm triſtitiam cohibet,

hibet, ſed etiam mitigat iram, quod proprium munus eſt manſuetudinis, extinguit odium, quod munus eſt charitatis, tollit vindictam, quod munus eſt iuſtitiæ, à
Cap. 1. B. Iacobo vocatur opus perfectum. Et, quia perturbationes animi ſedat, quæ non ſinunt nos eſſe compotes
Luc. 21. noſtri, ob id à Chriſto dicitur, In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Atque hanc ipſam ob cauſam præſtare alijs virtutibus dicitur, quia turbidos animi motus componit; quæ obſtant, vt ne vllam virtutem
Heb. 10. acquiramus. Et eſt nobis, vt B. Paulus ait, patientia neceſſaria; quia multa nobis ſemper in hac vita perferenda ſunt, maximè cùm in Chriſto Ieſu piè viuere volumus. Nec tamen habere patientiam à nobis poſſumus, ni nobis à Chriſto donetur; à quo eſt omnis virtus: cuiuſque gratia, & cum quo pati debemus. Rectè
Pſ. 61. itaque Dauid, Ab ipſo patientia mea: & B. Paulus Phi-
Cap. 1. lippenſibus ſcribit, Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo pa-
Act. 5. tiamini: & de Apoſtolis legimus, Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt
1. Pet. 2. pro nomine Ieſu contumeliam pati. Et pro Chriſto ſi nos patimur, etiam ipſe paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt ſequamur veſtigia eius. Et, ſi
1. Pet. 3. quid patimur pro Chriſto, vel propter iuſtitiam, beati.
Matt. 5. Inquit ipſemet Chriſtus, Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam; quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Quamobrem cum Chriſto pati debe-
Rom. 8. mus, vt etiam cum Chriſto glorificemur. Qui vt ſua paſſione docuit, quid nobis pro veritate ferendum, ſic ſua reſurrectione oſtendit, quid ſperandum ex patientia ſit. id quod pertinet ad meritum eius paſſionis. Quàmuis enim Chriſti pars animæ inferior à ſuperio-

ris

ris beatitudine impatibilis eſſe debuiſſet, & corpus ab animæ beatitudine immortale, tamen, quod ſuprà attigimus, diuino conſilio factum eſt, ne beatitudo à ſuperiore animæ parte in inferiorem, ne ve ex anima in corpus efflueret, ſed vt ſua Chriſtus paſſione, & morte animæ impatibilitatem, & corporis immortalitatem compararet; ac ſimul omnem in cælo, & in terra poteſtatem acquireret; quæ cæteroquin illi à coniunctione humanæ naturæ cum diuina in eadem diuina perſona obtingebat: Dei nominis quoque, quod ſuper omne nomen eſt, celebritatem aſſequeretur. Et Chriſti quidem nomen ante paſſionem eius deſpicatui habebatur, poſt paſsionem verò glorioſiſſimum factum eſt. Pulchrè igitur B. Paulus ſcribit, Humiliauit ſemet ipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Nos quoque ſua morte è Diaboli ſeruitute redemit, atque è vinculis peccatorum, & pœnarum ſoluit, & cæleſtium bonorum hæredes effecit. Nos igitur gloriari oportet in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti; in quo eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra; per quem ſaluati, & liberati ſumus: nec ſperet quiſquàm abſque multorum malorum tolerantia intraturum ſe in regnum cælorum; quando Chriſtum pati, vt in gloriam ſuam intraret, oportuit.

Domin. Paſſionis. *Philip. 2* *Galat. 6.* *Luc. 24.*

DOMINICA RESVR-ctionis.

ORATIO.

Deus, qui hodierna die per vnigenitum tuum æternitatis nobis aditum deuicta morte reſeraſti, vota noſtra, quæ præueniendo aſpiras, etiam adiuuando proſequere.

Deum patrem obſecramus, vt qui hodierno die nobis in cælum per vnigeniti filij ſui reſurrectionem deuicta morte patefecit introitum, deſideria, quæ in nobis ſuo ciet afflatu, ſuo etiam proſequatur auxilio.

Hæc Dominica dicitur reſurrectionis propter Chriſti è mortuis reſurrectionem: dicitur etiam Paſcha propter Chriſti ex hoc mundo tranſitum ad patrem. Huiuſq; diei ſolemnitas omnibus alijs antecellit. nam hanc omnes intuentur: quandoquidem omnia, quæ agimus, eò ſpectant, vt cum Chriſto in æternam vitam è vitiorum morte ſurgamus. Neque iniuria hic dies dictus eſt Dominicus, qui Ieſu Chriſti domini noſtri reſurrectione ſacratus eſt: omneſq; alij dies dominici ſunt

huius

huius octaui. Licetq́ue omnes dies ſint Domini, cuius ordinatione perſeuerant, hic tamen in primis dici meruit Domini dies; in quo videlicet res admirandas effecit. Vicit enim mortem, profligauit Diabolum, eripuit ex inferno captiuos, ſoluit è peccatorum nexibus vinctos, aperuit cæli præcluſum aditum, oſtendit omnibus certam ſpem immortalitatis, ac totum denique mundum ingente lætitia repleuit; quia perditum hominem, propter quem mundus factus eſt, recuperauit. Sic holocauſtum Chriſti, vt Dauid prædixerat, pingue factum eſt. Nec verò decuit ſanctum Chriſti corpus videre corruptionem: & trium dierum ſpacium ad oſtendendam veram Chriſti mortem ſatis fuit. Poſt quod ſpacium è morte caro eius excitata refloruit. Et eſt à Chriſti reſurrectione confirmata fides noſtra, & corroborata ſpes. Quis enim in Chriſtum crediдiſſet, aut quis in ipſo ſpem vllam poſuiſſet, ſi non è mortuis ſurrexiſſet, & ſurrexiſſe viſus à multis fuiſſet? Hoc nimirum eſt, quod B. Petrus ait, Qui ſuſcitauit Chriſtum è mortuis, & dedit ei gloriam, vt fides noſtra, & ſpes eſſet in illo. Sed & hic dies Dominicus, qui primus eſt poſt Sabbatum, eſt octauus à die primo, quo Deus creare cælum, & terram cœpit: ac refert imaginem octauæ ætatis; cuius etiam figura eſt, quæ octauo die fiebat, circumciſio: qua ætate cum ſuis corporibus homines reſurgent, &, priſtina integritate recuperata, in cæleſtem patriam reuertentur; eritq́; tunc nobis perfectum, & ſempiternum gaudium. Sed quando nomen hoc Reſurrectio vt barbarum carpitur ab his, qui elegantiam latinæ linguæ profitentur, explicanda ratio eſt, cur mortuorum in vitam reuocatio dicta ſit reſurrectio. Cùm in ſcripturis ſacris homi-

Pſ. 118.
Pſ. 19.
Pſ. 15.
Pſ. 27.
1. Pet. 1.

nis mors appelletur ſomnus,& dicatur is, qui mortuus eſt, dormire, quòd in vitam, vt is, qui dormit, ad officia ſenſuum, rediturus ſit, iurè in vitam reditus nominatur reſurrectio; ac ſurgere, ſeu reſurgere dicitur is, qui è mortuis, tanquàm è ſomno quodam excitatur, perinde vt is, qui dormit, cùm excitatur è ſomno, attollitque ſe è loco, in quo iacet, ſatis aptè, & latinè ſurgere dicitur. Brutorum animantium mortem nunquàm ſacra ſcriptura ſomnum appellat, neque dicit ea dormire, vbi interierint; quia nunquàm in vitam redibunt. Igitur hoc nomen reſurrectio qui reprehendit, ipſius rationem ignorat. Nec mirum eſſe debet, quòd à veteribus latinis vſurpatum non ſit, à quibus reſurrectionis myſterium ignoratum eſt. Nec malè etiam reſurrectio appellata eſt regeneratio; quia ſi generatio eſt, cùm forma in materiam inducitur; certè cùm eadem forma in eandem materiam inducetur, erit regeneratio. Atqui ijdem numero homines iterum generabuntur, aſſumente quaque anima corpus ſuum. Aſſumet autem virtute non naturali, ſed diuina. Satis enim conſtat ipſorum philoſophorum argumentis non poſſe, quæ intereunt, eadem numero redire. Nec tamen ſæpius anima redibit in corpus, quemadmodum Platonicis, & Pythagoricis placuit, ſed tantùm ſemel; neque in alienum corpus, ſed in ſuum. Hoc enim, quod nos diuina fide credimus, etiam humanis rationibus probabilius eſt, nimirum animas in ſua ſemel; quàm in aliena corpora ſæpius reuerti. Iam verò vt corporis, ſic etiam eſt animæ, licet immortalis ſit, ſua quædam mors, & reſurrectio. Corpus interit, cùm ab anima deſeritur; anima moritur, cùm diuina gratia priuatur: quæ magis eſt vita animæ, quàm

quàm anima corporis. Atq; vt corpus reſurgit, cùm iterum animatur, ſic etiam anima reſurgit, cùm iterum diuina gratia afficitur. Vtriuſque reſurrectionis author quidem vt Deus, miniſter verò vt homo, eſt Chriſtus. Nec quidem vllis ex locis poſſunt reſurrectionis corporum firmiora depromi argumenta, quàm ex ſacra ſcriptura, quæ nihil habet falſitatis. Quòd diuina virtute mortui reſurgent, B. Paulus multis in locis ait: Nam ad Romanos ſcribit, Qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora noſtra: *Cap. 8.* & ad Corinthios, Qui ſuſcitauit Dominum Ieſum, & *1. Cor. 4.* nos cum Ieſu ſuſcitabit: & de Chriſto mortuo, & reſuſcitato, Etſi crucifixus eſt ex infirmitate, viuit tamen *2. Cor. 13* ex virtute Dei. Suſcitauit autem Deus Chriſtum hominem: ſed quoniam idem Chriſtus eſt etiam Deus, idem ſe ipſum ſuſcitauit. Itaque de ſe Chriſtus ait, Exurgam diluculo; &, Ego dormiui, & ſoporatus ſum, *Pſ. 56.* & exurrexi. Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis fides noſtra; nimirum quia prædicamus, & credimus id, quod verum non eſt. Nec tamen quia non poſſumus intelligentia planè comprehendere qualia in reſurrectione corpora ſanctorum futura ſint, ideò vana eſt reſurrectionis fides. Nam hoc ſcimus, quòd futura ſunt immortalia. Seminatur corpus animale, ſurget, teſte B. Paulo, ſpirituale. Corpus enim, quod eſt animale naſcendo, fit reſurgendo ſpirituale. Vna ſimilitudo, quæ ſumitur à frumento, quod interit, & reuiuiſcit, maximè apta eſt ad probandam corporum reſurrectionem: quam ſimilitudinem multi Theologi vſurpant. Iam gratiam, per quam anima viuit, non dat niſi Deus, & per Chriſti fidem. Ideoq; B. Paulus ait Chriſtum eſſe vitam noſtram:

Pſ. 3.

1 Cor. 15

1. Cor. 15

Ibid.

Coloſſ. 3.

ſtram:cuius diuinitas eſt cauſa efficiens gratiæ,& humanitas inſtrumentum. Atq; vt Adæ peccatum in omnes, qui ex ipſo nati ſunt, deriuatum eſt, ſic Chriſti gratia in omnes,qui ex ipſo renati ſunt, effunditur. Per priorem hominem damnati, per poſteriorem ſalui facti ſumus. Ex carne à peccato Adæ vitiata in nobis eſt ad malum procliuitas; quæ homo vetus nominatur: ex Chriſti gratia eſt voluntatis ad bonum inclinatio;quæ nouus homo nuncupatur. vnde viuere ſecundum veterem hominem eſt ſecundum carnis deſideria viuere; viuere ſecundum nouum hominem eſt ſecundum Dei gratiam viuere. Ac quia tam ad bonum inclinatio, quàm ad malum procliuitas eſt quidam habitus animi, ob id monet B.Paulus vt exuentes, & deponentes veterem hominem, nouum induamus; & deteſtantes vitia carnis, in nouitate vitæ, quam Chriſti gratia efficit, ambulemus. Hoc eſt peccatis mori, & ſpiritu mentis renouari. Atque hic eſt paſſionis, & reſurrectionis Chriſti fructus, nempe mori peccatis, & Deo viuere. Habes duplicem reſurrectionem, animæ, & corporis, ſpiritualem, & corporalem: atque illam tantùm filiorum Dei, hanc omnium hominum communem: quanquàm boni florentes & glorioſi, mali verò afflicti & ignominioſi reſurgent. Studeat igitur quiſq; è peccati morte reſurgere, qui non vult in communi corporum reſurrectione cum malis in æternum tempus damnari. Sed orationis verba interpretemur. *Deus, qui hodierna die*] die illuminationis, & glorificationis, prima poſt Sabbatum diem quietis, octaua à prima die, qua res omnes cæleſtes, & terreſtres creari cœptæ ſunt. *morte deuicta*] poſt deuictam vtranque hominis mortem, animæ, & corporis, deuictam inquàm à mor-

Epheſ.4. & Coloſſ.3. Rom.6.

à morte Chriſti. Chriſtus enim mortem noſtram moriendo deſtruxit, & perditam vitam reſurgendo reparauit. *reſeraſti*] aperuiſti occluſum *aditum æternitatis*] in æternam gloriam, & immortalem vitam introitum. Hoc oſtium in cælo apertum vidiſſe ſe B. Ioannes in Apocalypſi teſtatur. Aperire cælum eſt impedimentum tollere, quo ab ingreſſu cæli, & hæreditatis æternæ poſſeſſione prohibemur. Ab hac poſſeſſione peccatum nos excludebat. Igitur Chriſtus, qui peccatū deleuit, impedimentum ab introitu regni cæleſtis ſuſtulit. itaque aditum æternitatis aperuit. Eſt autem æternitas perpetuitas, & immortalis conditio vitæ. *per vnigenitum tuum*] quod vnicus ſit filius Dei ſuprà oſtenſum eſt: qui factus homo mortuus eſt, & reſurrexit: per cuius reſurrectionem Deus pater nobis cælum aperuit. Virtus enim, qua ſublatum eſt ab introitu cæli impedimentum, diuina fuit. ſolus enim Deus delet peccatum, qui ſolus dat gratiam: Chriſtus autem eſt etiam Deus. ſed inſtrumentum, per quod ſublatum eſt, Chriſti paſſio, & reſurrectio fuit: qui per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta ſanctorum æterna redemptione inuenta. *nobis*] tuis fidelibus: qui peccatis cum tuo filio mortui ſumus. *etiam proſequere adiuuando*] etiam tuo auxilio foue *vota noſtra*] noſtra immortalitatis, & æternitatis deſideria, *quæ aſpiras præueniendo*] quæ tua gratia præueniente in nobis afflas & excitas. Neque enim aſpiratio diuina eſt aliud, quàm afflatus diuinus, ſinè quo nec cogitare, nec velle bonum vllum poſſumus. Atque hoc ſanè eſt ſpiritualis reſurrectionis ſignum, nimirum cæleſtia ſapere. Hoc ait B. Paulus, Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite; vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens:

Cap. 4.

Domi. 2. Aduent.

Hebr. 9.

Coloſſ. 3.

dens:quæ ſurſum ſunt ſapite,non quæ ſuper terrã. Sapit terrena, qui non peccatis, ſed in peccato mortuus ſecundum ſe, & carnem ſuam viuit. Nos autem cum Chriſto peccatis mortui ſecundum Deum viuamus, cæleſtia ſapientes. Id porrò eſt in nouitate vitæ ambulare.

DOMINICA IN ALBIS.

ORATIO.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus, vt qui paſchalia feſta peregimus, hæc, te largiente, moribus, & vita teneamus.

Precamur Deum, vt faciat nos dies feſtos Paſchales, quos peregimus, & affectu animi, & vitæ modo, ipſo gratiam donante, tenere.

Tempus, quod eſt à Dominica Palmarum vſque ad hanc Dominicam in Albis, totum dicitur Paſcha: quo tempore fideles Chriſti ſacramentum Euchariſtiæ, prout Eccleſia præcipit, ſumere debent. Dicitur autem hoc tempus Paſcha; quia Paſchalis agnus hoc tempore decima die Lunæ primi menſis anni ducebatur in vrbem, ac ſexto poſt die occidebatur, & cum lactucis agreſtibus, & azymis panibus aſſus igne comedebatur. Sic Chriſtus verus agnus Paſchalis, cuius morte ſumus è Diaboli poteſtate liberati, deci-

ma

ma die Lunæ primi menſis anni magna cum pompa in vrbem Hieruſalem ingreſſus eſt, & ſexto poſt die cruci affixus, die ante Sabbatum, ac prima poſt Sabbatum die reſurgens in vitam è morte tranſiuit. quem tranſitum notat nomen Paſcha. Etenim hoc nomen Paſcha tum tranſitum, tum agnum Paſchalem, tum dies azymos, nempe in quibus azymi panes comedebantur, ſignificat: quanquàm à vulgo etiam pro quouis maximo feſto vſurpatur. Nam & Pentecoſtem, & natalem diem Domini, & Epiphaniam vocat etiam Paſcha. Sed eius notionem explicemus. Paſcha quidam volunt eſſe nomen græcum, ductum à πάσχειν, quod eſt pati; ſic non tranſitum, ſed paſſionem rectiùs ſignificaret: quidam volunt eſſe nomen Hebraicum, atque aliter dici Phaſe; & vtrunq; nomen ſignificare tranſitum: quidam volunt eſſe compoſitum à græco πάσχειν, & hebraico Phaſe. verùm iſthanc compoſitionem ego quidem nullam agnoſco. quarè puto eſſe omnino hebraicum nomen, quod tranſitum ſignificat. Ac præcipuè ſignificat illum Angeli deuaſtantis Aegyptiorum domos tranſitum per Iudæorum fores illitas ſanguine occiſi agni. Nam iuſſu Dei Moyſes nocte deuaſtationis Aegypti, & Iſraëlitici populi ex Aegyptiorum tyrannide liberationis præcepit agnum occidi, & comedi, eiuſque ſanguine poſtes cuiuſque ianuæ liniri; per quas Angelus deuaſtator tranſiturus eſſet, nec quicquàm illas tacturus. Significat etiam tranſitum Hebræorum ex Aegypto per mare rubrum in terram promiſſionis. Vnde agnus, qui nocte iſta comedebatur à Iudæis, tum ob Angeli deuaſtatoris per domos ſuas tranſitum, tum ob ſuam ex Aegypto in terram promiſſionis per mare rubrum traiectionem di-

ctus eſt Paſchalis. Fuit autem agnus Paſchalis figura Chriſti agni Dei, qui pro nobis immolatus ſuo nos ſanguine ex Dæmonum poteſtate eripuit, & in lucem
1. *Cor.* 5. è tenebris traduxit. Quodpropter Chriſtum B. Paulus Paſcha, hoc eſt Paſchalem agnum vocauit, cum dixit Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Sed & eius ex hac vita ad Patrem tranſitus Paſcha dictus eſt. Non igitur abſurdè totum tempus, quod eſt à Dominica Palmarum vſque ad hanc Dominicam in Albis, quæ eſt dies octaua Dominicæ reſurrectionis, nominatur Paſcha: quandoquidem toto hoc tempore ſolemnitas agitur veri agni Paſchalis ingreſſi in vrbem Hieruſalem, occiſi pro ſalute noſtra, & è morte in vitam eſuſcitati. Quæret quis cur ſeptem dies, qui Dominicam reſurrectionis diem ſequuntur, vocentur etiam Paſchales? nimirum quia omnes hi dies cum Dominica reſurrectionis habentur pro vno die. Quæret etiam cur hæc Dominica dicatur in Albis? nempe quia Neophyti veſtes albas, quas Sabbato ſancto in Baptiſmo induerunt, hoc die deponunt, ſed candorem animi retinentes. Idcircò poſtulamus à Deo, vt nobis ſuam gratiam donet, qua cum cordis puritate ſynceram lætitiam, quam feſtis paſchalibus præ nobis tulimus, ſemper & animi affectibus, & vitæ actionibus conſeruemus. Ac totum hoc tempus, quod eſt à Paſcha ad Pentecoſtem, tempus reconciliationis vocatur; quia per paſchalem agnum cum Deo reconciliati ſumus. Cuius beneficij gratia Quinquageſimam lætitiæ agimus. Quæ autem fuit ante Paſcha Quinquageſima, pœnitentiæ, ac triſtitiæ fuit. Iam orationis verba interpretemur. *Præſta*] fac, vel effice, *vt*] adde tu *nos*. nam huiuſmodi pronomina fre-
quenter

quenter ſubticentur. *qui peregimus feſta Paſchalia*] qui celebrauimus dies feſtos Paſchales, ſeu perfecimus dierum feſtorum Paſchalium celebrationem. Nam peragere eſt perficere: ſiquidem hæc particula *per* in compoſitione ſæpe finem & abſolutionem notat. Feſtum feſti ſubſtantiuè in genere neutro nunquàm memini me legiſſe in bonorum latinorum libris, ſed ſemper legi diem feſtum. Atque aliud eſt feſtus, aliud feſtiuus. nam feſtiuus facetum lepidumque, & feſtiuitas leporem iucunditatemque ſignificat. an verò feſtiuitas pro diei feſti celebratione latinè vſurpetur, ignoro. feſtus autem, cùm refertur ad diem, ſignificat ferias, hoc eſt diem datum quieti ob alicuius honorem. Paſchalis à Paſcha deriuatur. Paſcha (vt diximus) tranſitum filij Dei ex hoc mundo ad patrem ſignificat. Dies igitur Paſchales ſunt, in quibus huius tranſitus memoriam celebramus. *teneamus*] ſeu retineamus *hæc*] feſta, ſiue hos dies feſtos Paſchales. *te largiente*] tua nobis gratia fauente. *moribus, & vita*] affectu animi, & modo viuendi. Mores ſignificant animi qualitates, atque affectus, tam bonos & laudabiles, quàm malos & vituperabiles, tam naturales & inſitos, quàm ſtudio & exercitatione comparatos. Itaque timor & audacia, manſuetudo & iracundia, & animi affectiones aliæ mores vocantur: quanquàm Fabius Quintilianus putat mores non tam affectus, quàm affectuum animi proprietates ſignificare: vt exempli gratia, manſuetudo, quæ eſt mollitudo quædam, & lenitudo animi, ſit affectio animi; manſueti verò animi proprietas, quæ eſt facilè tractari, neque aſperè reſiſtere tangenti, mos dicatur. Quòd autem qualitates animi quædam ſint naturales, quædam acquiſitæ nulli dubium eſſe opinor. *Lib. 6. Cap. 2.*

nam certum eſt quoſdam natura manſuetos eſſe, quoſdam ſtudio & virtute. verumtamen qualitates animi, quæ nos cum Deo conciliant, debent infundi à Deo; ſinè cuius gratia nec velle, neque agere quicquàm, quod ipſi gratum ſit, poſſumus. Quando igitur mores affectus animi ſignificant, & actiones noſtræ affectus animi ſequuntur, hinc eſt, quòd actiones noſtræ morales vocantur, & humanæ; quoniam ab humano affe-
Lib. 3. ctu proficiſcuntur. Sed in libris, quos de Virtute ſcripſi-
Cap. 1. mus, de moribus plura diximus. Vita quandoque notat motum ab interiore, inſitoque ortum principio. itaque viuere dicuntur, quæ ex ſe ipſis mouentur. quandoque, vt hoc loco, modum viuendi, actionumq; ſignificat: quem ſanè modum affectiones animi, qualitateſue deſcribunt. Nam quales ſunt animi affectiones, tales ſunt & orationes, & actiones. Illa porrò vita Deo placet, quam ipſæ diuinæ virtutes fides, ſpes, & charitas informant. Iam quæres quid eſt moribus, & vita tenere feſta Paſchalia? videlicet affectu, & opere tueri & conſeruare quæ per Chriſtum adepti ſumus, & diebus feſtis Paſchalibus ſignificantur. Significant autē hi dies ſeruitutis liberationem, & è peccati morte *in vitam* gratiæ tranſitum. Oramus itaque Deum, vt ſuam gratiam nobis largiatur; qua liberati à peccato ſemper epulemur in azymis ſynceritatis, & veritatis, conſuetudinem noſtram in cælis cum beatis habentes. Nec præter rem fore arbitror modum, quo Iudæi Paſchalem agnum comedebant, exponere; vt qualem ſe quiſque gerere in diebus Paſchalibus debeat, intelligat. Comedebant illi agnum calceati, accinctis renibus, ſtantes, tenentes baculum, atque cum lactucis agreſtibus, & azymis panibus totum aſſum comede-
bant.

bant. His rebus monemur cogitare nos in hoc mundo aduenas & peregrinos eſſe,nec debere occupari in harum rerum terrenarnm procuratione, quæ ſunt à noſtra libertate,& ſalute alienæ,ſed ad profectionem ſemper eſſe paratos; in diuinis præceptis affectus animi firmos habere; corporis voluptates frenatas, atque conſtrictas tenere; nullius terrenæ,& caducæ rei amore capi; fidei niti; ac cum dolore peccatorum, & cordis puritate ad exequenda diuina mandata ſolicitos eſſe; agni Paſchalis, qui ex nimia ſua charitate pro nobis ſeipſum morti tradidit, memoriam fixam in animo ſeruantes, atque in eo perfecto Deo & homine ſpem omnem ſalutis noſtræ & gloriæ ponentes. Sic equidem nos ſemper gerentes; dies feſtos Paſchales tenebimus.

DOMINICA SECVNDA post Paſcha.

ORATIO.

Deus, qui in filij tui humilitate iacentem mundum erexiſti, fidelibus tuis perpetuam concede lætitiam; vt, quos perpetuæ mortis eripuiſti caſibus, gaudijs facias ſempiternis perfrui.

Deum patrem, qui deiectum à ſuperbia hominem

nem per filij ſui humilitatem erexit, rogamus, det ſuis famulis continuatum animi gaudium; vt tandem ſemper beatos efficiat, quos à ſempiterna morte liberauit.

Mundus ab elegantia & munditia ſic dictus ſignificat corpus hoc magnum, quod cælo, & elementis conſtat, à græcis ob diſtinctam tot, tantarumque rerum varietatem, & ornatum κόσμος dictus: interdum in ſcripturis ſacris hominem notat, qui huius magni corporis imaginem quandã gerit. Nam vt huius magni corporis duæ ſunt partes, altera indiſſolubilis, altera diſſolubilis; ſic hominis duæ ſunt partes, altera immortalis, altera mortalis. Quarè à græcis μικρόκοσμος, latinè paruus mundus appellatur. Inſuper homo in ſcripturis ſacris vocatur omnis creatura, quia rerum omnium naturas participat: ſiquidem & eſt, & viget, & ſentit, & ratione vtitur, præter quas rerum proprietates, & naturas nulla eſt alia in mundo. Quinetiam interdum homo propter quandam naturæ excellentiam creatura mundi nuncupatur. Vtranque mundi ſignificationem, ſcilicet huius magni corporis, & hominis B. Ioannes
Cap. 1. Euangeliſta verbis illis complexus eſt, Mundus per ipſum factus eſt; & mundus eum non cognouit. Præterea nomen hoc mundus quandoque ſignificat mundi partem inferiorem, orbem, inquam, terrarum, & quæ in terris ſunt. vnde etiam ſignificat hominem res terrenas amantem, ac deinceps malum, atque peruerſum. quia cùm ab opifice ſuo factus ſit, vt res terrenas deſpiceret, ac cæleſtes quæreret, ipſe cæleſtes contemnens, terrenas perſequitur. Ex quarum amore generatur

ratur in homine, vt B. Ioannes Euangeliſtas in quadam ſua epiſtola ſcribit, concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. Hinc nimirum eſt, quòd B. Paulus mundi nomine pro concupiſcentia vſus eſt, cùm ſcribens ad Galatas inquit ſibi per Chriſtum eſſe mundum crucifixum, & ſe mundo. Cùm tot ſint mundi ſignificationes, hoc loco mundi nomine homo ſignificatur. *Deus, qui erexiſti mundum*] ſubleuaſti hominem *iacentem*] non ſpontè quieſcentem (nam iacere quandoque ſignificat quieſcere) ſed afflictum, atque proſtratum è caſu peccati, præcipueque ſuperbiæ. Cùm enim, ſpreto diuino mandato, boni & mali ſcientiam appeteret, vt ſimilis Deo fieret, arroganter ſeſe attollens iurè, & meritò è ſuperiore in inferiorem locum deiectus eſt ab eo, qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Ex quo in latronum manus incidit, qui eum ſpoliauerunt, & vulnerauerunt, & ſemiuiuum ſtratum humi reliquerunt. Verùm Deus clementiſſimus Dominus, miſeriarum & calamitatum hominis miſeratus, filium ſuum in terras ipſi auxilio miſit: qui iacentem ſubleuauit, atque in iumentum ſuum impoſuit, & ſtabulario curandum in ſtabulum conduxit. Iumentum eſt humanitas filij Dei; qua Deus tanquàm animato quodam inſtrumento noſtram redemptionem & ſalutem operatus eſt. Hanc humanitatem filius Dei aſſumens, ſemet ipſum (vt B. Paulus loquitur) exinaniuit; quia ſerui formam accepit, ſimul & ignominioſam mortem oppetijt, vt iacentem hominem ſubleuaret, atque ſanaret. Rectè igitur dicimus erexiſti *in humilitate filij tui*] per humilitatem filij tui Ieſu Chriſti: qui ſeſe humilians, & vſque ad mortem crucis obediens, ita iuſtitiam omnem compleuit, vt ſalu-

1. Cap. 2. *Cap. 6.* *1. Pet 5.* *Luc. 10.* *Philip. 2*

ſalutem humano generi attulerit. Et quidem decuit humilitate ſanari hominis ſuperbiam, & argui dæmonis arrogantiam. Sed de humilitate filij Dei ſatis alibi diximus. Interim aduerte non ſolùm Deum patrem, ſed etiam Filium, & Spiritum ſanctum iacentem hominem erexiſſe; quippe eadem eſt trium diuinarum perſonarum (vt aliàs diximus) vis & poteſtas; ipſarumq; diuinarum perſonarum communia ſunt omnia opera, quæ extra diuinam eſſentiam prodeunt; ſed nominamus tantùm Patrem, vtpote aliarum diuinarum perſonarum æternum principium. *concede lætitiam*] da gaudium. Hoc eſt, quod hac oratione petimus, gaudium, inquàm, de noſtra redemptione, & perditæ recuperatione ſalutis. quod gaudium viatorum tandem in cælo perfectum, tutum, & ſempiternum erit. Oramus itaque dari nobis hic lætitiam viatorum, vt detur aliquando illa comprehenſorum. Viatores à Theologis vocantur, qui in terris ad cælum iter faciunt; comprehenſores verò, qui in cælis, comprehenſo brauio, Dei aſpectu perfruuntur. Lætitia, ſeu gaudium, & voluptas delectationem ſignificant: verùm voluptas non ſolùm animi, ſed etiam corporis delectationem notat; lætitia verò, ſeu gaudium eſt tantummodò animi. quarè gaudium eſt dumtaxat vtentium ratione; voluptas verò etiam brutorum animantium eſt. Eſt autem vt voluptas corporis, ſic gaudium animi iucunda quædam, & ſuauis commotio conſequens ipſius animi conuenientem naturæ actionem. Vnde cùm animus ipſum verum contemplatur, & optato bono potitur, ſecum ipſe lætatur. Itaque cùm accepta diuina beneficia vir pius mente conſiderat, & recuperatam ſalutem animo ſentit, maximè gaudet. Sed hanc nobis lætitiam non

Domin. Palmæ.

non dat niſi idem, qui ſalutem dat, Deus. *perpetuam.*] continuatam, non interruptam. nam perpetuum quandoque ſignificat continuatum, quod non interrumpitur; quandoque æternum, quod caret fine, vnde perpetuam orationem dicimus, quæ nullius ſermone interrumpitur, & perpetuam mortem, quæ ſemper durat. Lætitiam de beneficijs Dei interrumpit, atque perturbat alicuius criminis conſcientia, Ergo petere lætitiam perpetuam eſt petere vitam ſine crimine. Hoc eſt in Domino ſemper gaudere, nimirum de beneficijs Dei perpetuam lætitiam habere; quæ, ne interrumpatur, ſemper bonis actionibus nutrienda eſt; ac tandem in cælo perfecta, tuta, & perennis erit. *fidelibus tuis*] tuam fidem habentibus. Fidelis in ſcripturis ſacris quandoq; ſignificat verum, ſic fidelis ſermo, id eſt verus, & fideles prophetæ, hoc eſt veri dicuntur; quandoque ſignificat eum, qui fidem ſuam, & promiſſa ſeruat, ſic fidelis Dominus; & fidelis ſeruus dicitur; cui opponitur infidus, qui fidem ſuam non præſtat; ſæpe etiam ſignificat eum, qui veri Dei fidem habet; contra infidelis, qui veri Dei fidem non habet; ſic mulierem, & virum infidelem, & fidelem B. Paulus vocat. *ut facias*] 1.Cor.7.
ſeu efficias eos. *quos eripuiſti caſibus mortis perpetuæ*] Caſus pro euentu, & pro ruina ponitur. Caſus mortis æternæ ſunt priuatio diuini luminis, amiſſio cæleſtium bonorum, Diaboli tyrannis, & pœnæ æternæ. è quibus æternæ mortis caſibus nos Chriſtus ſua morte liberauit. Mors duplex eſt, altera corporis, quæ mors naturæ dicitur, quoniam è naturæ conditione, ſeu principijs naturalibus eſt; ſiquidem quod ex elementis coagmentatum corpus eſt, vi ſua diſſoluitur: altera mors eſt animæ, quæ fit, cùm ipſam Dei gratia deſerit; ſicut

mors corporis eſt, cùm ab anima corpus deſeritur,
Domin. Reſurre. vt ſuprà diximus. Ac mors animæ dicitur mors peccati; quoniam infertur à peccato. Illa dicitur temporalis, quæ ad certum tempus exiſtit; hæc dicitur æter-
Apo. 20 na, quæ ſemper durat: illa dicitur à B. Ioanne prima; hæc ſecunda: illa eſt omnium communis; hæc tan-
Pſ. 33. tùm eſt impiorum, quam peſſimam Dauid vocat: illa nolentem animam è corpore pellit; hæc retinet, atq; hòc durior eſt, quò minùs poteſt vlla ratione finiri. Sic enim perit, vt poſſit ſemper perire. Itaque perpetuum hoc loco ſignificat æternum, quod finem non habet. *perfrui gaudijs ſempiternis*] potiri lætitijs æternis, hoc eſt in æternum tempus ſummè lætari. Id quod erit in cælo, vbi erunt omnes, & ſummæ, & ſempiternæ lætitiæ. Dicimus gaudium, cùm totam ipſam beatitudinem conſideramus; gaudia verò, cùm beatitudinis varios effectus inſpicimus. Tota noſtra beatitudo in Deitatis aſpectu ſita eſt: ſed cuiuſque diuinæ virtutis contemplatio ſuam habet peculiarem lætitiam: & quò quis plures Dei virtutes, & planiùs percipit, eò certè beatior eſt. Oramus igitur dari nobis continuatam de diuinis beneficijs lætitiam, vt tandem illa cæleſti perfruamur, quam contuetur æternitas.

DOMINICA TERTIA
poſt Paſcha.

ORATIO.

Deus, qui errantibus, vt in viam poſſint redire

redire iuſtitiæ, veritatis tuæ lumen oſtendis, da cunctis, qui Chriſtiana religione cenſentur, & illa reſpuere, quæ huic inimica ſunt nomini, & ea, quæ ſunt apta, ſectari.

Deum, qui deerrantibus à bonarum actionum via, vt in ipſam reuertantur, veritatis porrigit lumen, obſecramus, vt det omnibus Chriſtianis & fugere, quæ à Chriſtiano ſunt nomine aliena, &, quæ ſunt ipſi conſentanea, ſequi.

Errare eſt à via, quæ nos ad certum aliquem finem ducit, deflectere. Finis, quem ſpectare homo debet, eſt vita æterna: via verò ad vitam æternam eſt iuſtitia. Ab hoc fine, & via omnes errauerunt, cùm in Adam omnium hominum parente peccauerunt, & iniuſti facti ſunt. Proinde verè dicitur, Non eſt iuſtus quiſquam. *Rom.* 3.
ſiquidem omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti *Pſ.* 13.
ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnum. & 52.
Hunc porrò finem, quia ſupra vires humanæ naturæ eſt, neque cognoſcere, neque attingere quiſquàm ex ſe poteſt, ni cælesti lumine illuſtretur, & diuina ope adiuuetur: quanquàm ante peccatum & clariùs hunc finem agnouiſſemus, & valentiùs viam ad ipſum iniſſemus, non peccatorum tecti caligine, nec vitiorum debilitati ægritudinibus. Veniens verò ad nos Dei filius & vitam æternam apertè monſtrauit, & gratiam ad illam comparandam benignè impertiuit. Compa-

ramus autem illam bonis operibus cæleſti gratia perfectis, quæ iuſtitiæ opera dicuntur, quia ſecundum legem diuinam fiunt. Ad facienda iuſtitiæ opera, quibus æternam vitam comparamus, diuinum auxilium poſcimus. *Deus, qui oſtendis*] præfers, porrigis, tendis *lumen tuæ veritatis*] Errat quis à via maximè ob ignorationem viæ. Ignoratio eſt quædam quaſi cæcitas mentis ab obductis inſcientiæ veri tenebris. Deus, à quo eſt omnis vera cognitio, ipſe menti præfert lumen, quod eius tenebras expellit. Lumen eſt ſplendor, qui è luce effunditur; lux eſt ſplendor, qui eſt in ipſa re lucida: quanquam promiſcuè (vt ſuprà diximus) vtraque voce pro quouis ſplendore vtimur. Deus eſt veritas, & lux: è qua vera luce ſplendor quidam exoritur, quo illuminatus animus Deum ipſum, & ad Deum viam verè, ac planè cognoſcit. Etenim, vt ſenſile lumen eſt qualitas quædam, quæ perſpicuum corpus reddit aſpectabile; corporumque facies demonſtrat; quod propter dicitur à philoſophis omnia facere; ſic diuinum lumen eſt quædam qualitas, quæ res diuinas aperit, & oſtendit, efficitque, vt ab humana mente perſpiciantur. Dei quoque filius eſt veritas, & ſplendor Patris. Quarè interpretaberis *lumen veritatis tuæ* vel tui ipſius, vel filij tui cognitionem. Quod lumen dicitur lumen fidei Chriſti; quia fides Chriſti mentem noſtram illuminat, vt res diuinas, & occultas, noſtræq; felicitatis continentes cauſam intelligat. *errantibus*] in tenebris huc, illucque vagantibus; quoniam à via veritatis atque iuſtitiæ deflexerunt: *vt poſſint videre, & redire in viam iuſtitiæ*] reuerti in viam iuſtitiæ, quam ingreſſi erant. Via iuſtitiæ eſt, quam iuſtitia deſcribit; vel quæ eſt ipſa iuſtitia. Via notat ſpacium, per quod

Domi. 3. Aduent.

ad certum locum itur: capitque nomen interdum à fine, vt cùm dicimus viam ſalutis; interdum ab ipſo ſpacio, vt hic capit ab ipſa vitæ ratione, qua ſalutem acquirimus: quæ vitæ ratió vocatur iuſtitia. Nam iuſtitiæ nomen & communem, & propriam habet ſignificationem: Propria eius ſignificatio eſt, cùm eam virtutem moralem ſignificat, quæ finitur conſtans, & perpetua voluntas tribuendi cuique ius ſuum: communis eſt, cùm totius animi rectam compoſitionem, & abſolutam benè viuendi rationem deſignat; vnde iuſtus pro recto & ſtudioſo ponitur; eiuſque rectè facta iuſtificationes appellantur. Tunc eſt rectus homo, & rectè viuit, cùm ſenſus rationi, & ratio diuinæ legi obtemperat: Homo hanc iuſtitiam in ſuæ creationis origine, vnde dicta eſt originalis, habuit: ſiquidem fecit Deus hominem rectum: ſed deinde peccando amiſit. Vt autem ipſam recuperaret, opus fuit diuina gratia, quæ ipſum ex iniuſto iuſtum efficeret. Quæ gratia quia non datur niſi per fidem Ieſu Chriſti, ideo B. Paulus ait Epheſijs Gratia ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis. Quia verò iuſtitia rectum hominis ſtatum, vitamque ſignificat, & diuina mandata rectè viuendi rationem continent, hinc eſt, quòd iuſtitia etiam pro diuinis mandatis vſurpatur. Ergo viam iuſtitiæ interpretabimur vel rationem benè viuendi, vel viam diuinorum mandatorum, quæ ſummam iuſtitiam continet: à qua via recedimus, cùm peccamus, & ad eam redimus, cùm peccata deteſtamur, atque iterum bonam vitam, informante nos diuina gratia, inimus. *Da cunctis, qui cenſentur profeſſione Chriſtiana*] concede omnibus, qui religionem Chriſtianam profitentur. Cenſeri eſt æſtimari. Profeſſio licet aliquando ſignificet pollicitationem, fre-

Eccle. 7.

Cap. 2.

quentiùs tamen ſignificat certam eorum, quæ poſſidemus, bonorum denunciationem. Chriſtianus (quod nomen Antiochiæ primò inuentum eſt) à Chriſto vero Deo & homine dicitur: Chriſtus verò à chriſmate, id eſt vnctione. Vnctio Theologis duplex eſt, exterior, & interior. exterior eſt, cùm oleo corpus vngitur; interior, cùm mens Sancti ſpiritus gratia perfunditur. Chriſtus omni gratia pleniſſimus fuit. Itaque profeſſio Chriſtiana eſt Chriſtianæ religionis denunciatio. Cenſeri profeſſione Chriſtiana eſt ſecundum religionis Chriſtianæ denunciationem æſtimari, hoc eſt Chriſtianum, ſeu Chriſti cultorem haberi. Tunc religionem Chriſtianam profeſſi ſumus, cùm in baptiſmate profeſſi ſumus nos in Ieſum Chriſtum Dei filium credere. *& reſpuere*] aſpernari, repudiare, fugere illa, quæ ſunt *inimica*] contraria *huic nomini*] Chriſtiano. Eſt nomen Chriſtianum religioſum, & ſanctum. quippe Chriſtiani dicuntur ſancti, quòd Chriſti ſanguine abluti ſint, ac Spiritus ſancti gratia ornati: quæ nihil ſordidi & impuri ſecum eſſe patitur. Quarè nomini Chriſtiano ſunt contraria, quæ diuinæ gratiæ repugnant, ac ſanctitati vitæ aduerſantur, vitia, inquàm, & peccata. *& ſectari*] perſequi *ea, quæ ſunt apta*] conuenientia huic nomini Chriſtiano, virtutes, inquàm, & bonas actiones. Quia duo ſunt munera iuſtitiæ, videlicet declinare à malo, & facere bonum, iure Deum precamur, vt det nobis vitia fugere, & virtutes ſequi, vt in via iuſtitiæ ambulemus. Rogamus ergo Deum, vt nos iuſtos efficiat; qui fugiamus malum, & amplectamur bonum.

Pſ. 36.

DOMINICA QVARTA poſt Paſcha.

ORATIO.

Deus, qui fidelium mentes vnius efficis voluntatis, da populis tuis id amare, quod præcipis, id deſiderare, quod promittis, vt inter mundanas varietates ibi noſtra fixa ſint corda, vbi vera ſunt gaudia.

A Deo, qui fideles ſuos vnanimes efficit, gratiam poſcimus, qua eius præcepta diligamus, & promiſſa deſideremus, vt in mundanarum rerum mutabilitate ibi fixos animos teneamus, vbi veræ ſunt lætitiæ.

Vt vnus eſt Deus, ſic vna eſt vbique omnium fides: ideoque catholica græcè, vniuerſalis latinè dicitur. Non enim aliud in Orientis Solis, aliud in Occidentis, aliud in Aquilonis, aliud in Auſtri partibus de Deo, & Chriſto eius creditur, ſed vbique locorum idem. Atque vt vna eſt anima, quæ corporis partes omnes animat, alit, & auget, ſic vna eſt fides, quæ Eccleſiæ corporis myſtici membra nectit, regit, atque conſeruat. Dicitur autem vna fides, non quia vnus eſt omnium

omnium intellectus; nam cuique ſuus eſt ſenſus & animus; ſed quia idem credi, & teneri debet ab omnibus. Cùm igitur eſſent in hoc terrarum orbe duo moribus, & religione differentes populi, nimirùm Iudæi & Gentes, & eos inter ſe Chriſtus eadem fide iunxiſſet, verè, ac rectè dictus eſt lapis ille angularis, qui reprobatus ab ædificantibus, factus eſt in caput anguli, duoſque diſiunctos parietes miro modo connexuit. Quarè B. Paulus ſcribit Epheſijs Chriſtũ feciſſe vtraq; vnum; & ambos in vno corpore per crucem Deo reconciliaſſe. Ac quia diuerſorum populorum mentes eadem fide copulauit, eadem quoque dilectione & charitate voluntates eorum coniunxit; vt idem ſaperent, atque idem vellent omnes. Ob hanc duorum populorum diuerſorum eiuſdem fidei, & charitatis vinculo colligatam à Deo ſocietatem in huius Dominicæ oratione dicimus: *Deus, qui efficis mentes fidelium voluntatis vnius,*] qui fidelium animos facis eandem voluntatem habere, idemque velle: qui, inquàm, fideles tuos facis vnanimes, atque concordes. Fideles ſunt, qui Dei fidem habent, vt ſuprà expoſitum eſt. Dictum quoque eſt mentem quandoque vſurpari pro animo. Voluntas quandoque ſignificat facultatem animi, qua animus poteſt velle, quod intelligit; quandoque ſignificat ipſum voluntatis actum, quem quidam volitionem appellant. Voluntas, quatenus eſt animi potentia, non eſt vna multorum; quia nec animus; non enim voluntas Petri eſt voluntas Pauli: quatenus verò eſt actio, poteſt plurium eſſe eadem, ſi rem eandem velint; ſicuti fides dicitur eadem, cùm idem creditur. Qui vnius voluntatis ſunt, dicuntur vnanimes. Vnanimes facit is, qui eſt concordiæ & pacis Deus. In hoc enim dignoſcimus

Pſ. 117. et Matt. et Act. 4 Cap. 2.

Domi. 2. poſt Paſcha.

ſcimus Dei fideles ab infidelibus, quòd Dei fideles idem ſapientes, idemque ſentientes unanimes inter ſe fidem habent, & charitatem eandem. Ideóque B. Paulus Philippenſes hortatur ad habendam eandem mentem, & charitatem, vt ſe veri Dei cultores cæteris oſtendant. *da populis tuis*] vt dicimus Eccleſiam, & Eccleſias Dei, ſic dicimus populum, & populos Dei. Dicimus populum, cùm vniuerſum orbem, tanquàm vnam vrbem ſpectamus, & omnes fideles, tanquàm vnam hominum multitudinem ijſdem legibus, moribuſque contentam: dicimus populos, cùm diſtinctos locorum regionibus chriſtianorum hominum cætus conſideramus; quos natio, non religio, diſtinguit. Licetque omnes populi ſint Dei, quoniam (quod diximus etiam alibi) ſunt in Dei poteſtate, tamen qui Chriſti fidem habent, ſingulari quodam beneficio, & priuilegio Dei populi dicuntur; quippe quos ſibi ſuo ſanguine acquiſiuit, in quibus potiſſimè regnat, à quibus maximè, & veriſſimè colitur. Quarè B. Petrus chriſtianos appellat genus electum, regale ſacerdotium, gentem ſanctam, populum acquiſitionis. *amare id, quod præcipis*] diligere diuina præcepta: quæ ipſa ad dilectionem Dei, & proximi ordinantur. quarè plenitudinem legis B. Paulus ait eſſe dilectionem. Porrò quia omnia diuina mandata ſolam dilectionem continent, dicuntur vnum dilectionis mandatum. itaque dicitur hoc loco *amare quod præcipis*. at eorum, qui diligendi ſunt, ratione, Dei ſcilicet, & proximi, atque ob differentes diligendi modos, plura mandata dicuntur. Quæ quidem ſaluberrima ſunt, quia per ipſa in æternam vitam ingredimur: ſunt etiam perfectiſſima, quoniam ad omnes pertinent, & immutari nullo modo poſſunt; qualia ne-

Cap. 2.

Domi. 1. Aduent.

1. Pet. 2.

Rom. 13.

mo vnquàm dedit, nec date poterit. Amat præcepta Dei, qui ſemper illa cogitat: & vt illa ſemper cogite-
Cap.3. mus, ſuadet Eccleſiaſticus dicens, Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris; ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper. Semper autem illa cogitat, qui illa cuſtodit. Hoc ſanè eſt in oculis, & in manibus ipſa ſemper habere; ſemper, inquàm, mente tractare, & opere complere. Sunt autem diuina præcepta per ſe ipſa diligenda, non autem propter vllam terrenam mercedem, propter quam Iudæi conabantur ipſa ſeruare. vnde minùs ſeruabant, quia per ſe ipſa
Exo. 34. minùs diligebant: ideoque in faciem Moyſis non in-
& 2.Corinth. 3. tendebant. Nec verò diligere diuina præcepta per nos ipſi poſſumus, quia nec illorum æternam mercedem noſtra ratione comprehendere poſſumus, ni mentem noſtram gratia cæleſtis illuminet. Qua cæleſti gratia qui ad cuſtodienda diuina præcepta non adiuuatur, hunc
Pſ. 118. ait propheta Dauid à Deo repelli. Sic enim inquit, Ne me repellas à mandatis tuis. Iurè igitur Deum precamur, *da nobis id amare, quod præcipis, id deſiderare, quod promittis*] ſinè coniunctione dictum eſt *id amare, quod præcipis, id deſiderare, quod promittis*: & cum coniunctione dici poteſt *id amare, quod præcipis; & id deſiderare, quod promittis.* Amare eſt ad rem aliquam affici: vnde amor eſt animi ad rem aliquam propenſio. Eſtque amor tam præſentis, quàm abſentis boni: deſiderium verò non eſt niſi abſentis. Itaque amoris ſignificatio latiùs patet, quàm deſiderij. Promiſſiones Dei ſunt bonorum cæleſtium pollicitationes: quas deſiderat, qui ſemper diuina præcepta cogitat. *vt corda noſtra*] vt cogitationes, & voluntates noſtræ *inter varietates mundanas*] inter mutationes harum rerum inferiorum: quæ quidem multæ, & fre-

quentes ſunt. Licet varietas propriè ſignificet diuerſitatem, hoc tamen loco mihi videtur ſignificare mutabilitatem. Varietas mundana eſt, quæ in hoc ſublunari orbe, quem ſuprà diximus quandoque mundum vocari, fit: in qua mutationes omnes fiunt. *fixa ſint ibi*] eo ſint in loco firmiter ſita, *vbi ſunt vera gaudia*] vbi ſunt certæ, ſolidæ, & nunquàm perituræ lætitiæ. Verum gaudium eſt ex veri boni adeptione. Verum bonum eſt, quod nos beatos facit: quod, inquàm, naturæ noſtræ conuenit, & explere noſtrum deſiderium poteſt, & æternum eſt. Huiuſmodi non eſt, niſi vita æterna: quam promittit (vt B. Paulus ait) qui non mentitur Deus. Quam etſi non poſſumus in terris habere, tamen poſſumus eius ſpe lætari. Nam etiam ſpes homines lætos facit. Quamobrem à Deo gratiam petimus, qua amemus diuina præcepta, & deſideremus æterna promiſſa: vt nulla nos humana & mutabilis res à diuinarum rerum contemplatione & dilectione remoueat. Hoc ſanè eſt maximum ſpiritualis reſurrectionis argumentum, nempe ſapere quæ ſurſum ſunt, non quæ ſuper terram: & ſpem noſtram, quaſi anchoram quandam in cælis fixam & fundatam tenere.

Domi. 2. poſt Paſcha.

Tit. 1.

DOMINICA QVINTA *poſt Paſcha.*

ORATIO.

Deus, à quo bona cuncta procedunt, largire

ſupplicibus tuis, vt cogitemus, te inſpirante, quæ recta ſunt, et, te gubernante, eadem faciamus.

Deum omnium authorem bonorum oramus, vt det nobis inſpirando, quæ recta ſunt cogitare, & gubernando, hæc ipſa efficere.

Hæc Dominica proxima Chriſti in cælum aſcenſioni dicitur Rogationum: in qua Deum rogamus, vt, quando Chriſti corporali præſentia priuandi ſumus, det nobis non huius mundi caduca bona, ſed ſpiritum cogitandi quæ recta ſunt, & opem illa faciendi; vt poſt ipſum ad cælum & mente, & actione tendamus. Nec dubitare de Dei facultate, & voluntate debemus, cùm ipſe optimus ſit, atque omnium bonorum fons & origo. Ens, græcè ὄν, ſiue id, quod eſt, qua ratione eſt, dicitur verum; qua ratione appetitur (ſiquidem eſſe ab omnibus appetitur) dicitur bonum. Eſt ergo bonum idem, quod appetendum. Nec ſolùm eſſentia, græcè οὐσία, verùm etiam quicquid eſſentiæ conuenit, appetitur. ex quo bonum etiam finitur, quod cuiuſque naturæ aptum, & congruens eſt. Vt autem omnium rerum eſt aliquod principium, ſic omnium bonorum eſt aliquod initium. Principium omnium rerum eſt Deus, qui à ſe eſt, & à quo cætera pendent. quarè & omnium bonorum eſt cauſa, verè ſummè bonus, vel (vt aliqui loquuntur) ſuperbonus. Hinc vt entis, ſic etiam boni ſunt illæ diuiſiones in increatum & creatum; in inde-

pendens

pendens & dependens, vel à ſe, & ab alio exiſtens; in vniuersè perfectum & imperfectum; in immutabile & mutabile; in immortale vi ſua & mortale. Tum vt quoddam ens eſt ſpiritale, nimirum quod eſt corporis expers, quoddam corporale, quod videlicet corporatum eſt, ſic quoddam bonum eſt ſpiritale, quoddam corporale. Inſuper vt quoddam ens ſemper durat, licet ortum ſit, quoddam ad aliquod tempus, ſic quoddam bonum æternum, quoddam temporale eſt. Adhæc vt quoddam ens eſt ſubſtantia, quoddam accidens, ſic quoddam bonum ſubſtantiale eſt, quoddam accidentale. Et, vt de bonis hominis loquamur, quædam ad animum, vt virtutes, quædam ad corpus pertinent, vt ſanitas, pulchritudo, robur, quædam etiam extrinſecus ad tuendam hanc vitam petuntur, vt opes atque diuitiæ. Necnon quædam bona ſunt honeſta, quæ videlicet honore digna ſunt propter aliquam mentis excellentiam, à qua habent, vt per ſe expetantur, cuiuſmodi ſunt virtutes, quædam vtilia, quæ non propter ſe, ſed propter aliud expetuntur, quædam delectabilia, quæ aut animum, aut ſenſum aliqua ſuauitate afficiunt. Atque etiam bona quædam laudantur, ſimul & honorantur, vt bona honeſta, quædam dumtaxat laudantur, vt alia bona. Poſtremò quædam animi bona ſunt naturalia, quæ nituntur principijs naturalibus, quædam ſupernaturalia, quæ à Deo infunduntur, vocanturque gratuita, quæ gratuitò nobis à Deo donantur. Cùm igitur omnia bona emanent à Deo bonorum omnium fonte, iurè dicimus *Deus, à quo bona cuncta procedunt*] hoc eſt proueniunt. Procedere latinè propriè eſt progredi, ac quaſi pergere; verùm Theologis eſt originem ducere: vnde diuinarum perſonarum emanationes proceſ-

proceſſiones appellarunt. *largire*] ex tua benignitate concede, *ſupplicibus tuis*] nobis, qui nos tibi ſubmittimus, & humiliter ſupplicamus, *vt, te inſpirante*,] te mouente, & inſtigante. Spirare eſt flare; nam ſpiritus eſt flatus; inſpirare eſt intus ſpirare, nimirum animum excitare. Etenim vt Deus communi quodam, & interiore impulſu res omnes corporeas ad ſuos fines, & perfectiones mouet; ſic etiam animos & voluntates ad æternam vitam & gloriam excitat. Non enim à nobis cogitare poſſumus, quæ ad noſtram æternam felicitatem faciunt; quia noſtram intelligentiam ſuperant: ſed opus eſt diuino afflatu. Qui interior Dei afflatus motio diuina, ſiue inſtinctus diuinus dicitur; à quibuſdam diuina inſpiratio nuncupatur. Nolunt poëtam poſſe abſque diuino aliquo afflatu carmen fundere; & à nobis ſanctæ cogitationes, & bonæ actiones, quibus cæleſtis regni poſſeſſio acquiritur, ſinè diuino numine
Pſ. 142. & afflatu ſuſcipientur? Ac benè Dauid, Spiritus tuus bonus, inquit, deducet me in terram rectam. Et qui
Rom. 8. ſpiritu Dei aguntur, vt B. Paulus ſcribit, hi filij Dei ſunt: quoniam ad hos hæreditatis æternæ poſſeſſio pertinet. Atque vt eſt ſpiritus Dei bonus per viam rectam ducens, ſic eſt ſpiritus erroris, ſcilicet Dæmon homines in errores inducens: quem diuina adiuti gratia repellere poſſumus, & debemus. Sed dolendum, quòd plures ſpiritu Dæmonis, quàm Dei aguntur: qui non niſi voluptates ſenſuum perſequuntur, & cæleſtem afflatum nihil omnino ſentiunt. Nos verò Deum oremus, vt ipſo inſpirante *cogitemus*] mente & animo tractemus. Eſt enim bonarum actionum principium bona cogitatio: nec eſt vlla bona actio, quam bona cogitatio non præcedit; quandoquidem non eſt actio volunta-

luntaria, quæ ignoratur. Sed de cogitatione ſuprà diſſeruimus. *quæ recta ſunt*] recta ſunt, quæ à recta ratione ad verum finem recta via diriguntur. Verus finis actionum noſtrarum eſt ſempiterna felicitas, quæ in Dei charitate poſita eſt: recta ratio eſt, quam diuina gratia ſecundum legem diuinam informat: recta via eſt diuinorum præceptorum, & conſiliorum via. Igitur actiones, quæ ſic inſtituuntur, rectæ & bonæ ſunt: & cogitatio de his eſt bona & recta. *& te gubernante*] regente, & moderante. Deus quippe eſt (vt Beatus Paulus ait) qui operatur in nobis velle, & perficere: velle quidem inſpirando, perficere vero gubernando, & adiuuando. Nec abſurdè quidam hominis animum equo, Spiritum ſanctum equiſoni aſſimilant; quòd vt equiſo equum, ſic Spiritus ſanctus animum ſtimulat, atque gubernat. Hoc quidem pacto Spiritus ſanctus in nobis habitat, dum nos regit. Oportet autem Spiritum ſanctum in nobis habitare, vt *faciamus*] opere compleamus, vel executioni mandemus bona, quæ cogitamus *eadem*] hæc ipſa quæ cogitamus recta. Etſi poteſt homo ex libero arbitrio aliqua bona facere, non tamen vllo modo poteſt ſine diuina gratia cogitare, & facere bonum, quo mercedem æternam promereatur. Ergo ſi omnia bona ſunt à Deo, etiam bona cogitatio, & recta actio ſunt à Deo.

Domi. 2. Quadrageſimæ.

Philip. 2.

DOMI-

DOMINICA INTRA *octauam Aſcenſionis.*

ORATIO.

Omnipotens ſempiterne Deus fac nos tibi ſemper & deuotam gerere voluntatem, & maieſtati tuæ ſyncero corde ſeruire.

Poſcimus à Deo gratiam, qua ſemper & addictum ei animum habeamus, & amplitudini eius ſimplici corde famulemur.

In cælum profectò à ſe ſponſo, iurè petit à Deo Eccleſia dilecta Chriſti ſponſa deuotam ipſi mentem, & integrum famulatum: ex qua deuotione & famulatu veram lætitiam ſemper, fructumque percipiat, *Fac nos tibi ſemper & deuotam gerere voluntatem, & maieſtati tuæ ſyncero corde ſeruire*] Ego hæc verba ſic legerem, *Fac nos ſemper & deuotam tibi gerere voluntatem, & maieſtati tuæ ſyncero corde ſeruire*. Si enim *& gerere deuotam voluntatem, & ſyncero corde ſeruire* (ſunt enim hæc duo membra vnius periodi) vtrunque ad pronomen illud *tibi* referretur, tunc aptè legeremus *Fac nos tibi ſemper & deuotam gerere voluntatem, & ſyncero corde ſeruire*. ſed quoniam pronomen *tibi* tantùm ad *deuotam* ſpectat, equidem legerem, (vt dixi) *& deuotam tibi*. Eſt autem gerere voluntatem alicui deuotam, idem quod habere voluntatem

tatem deſtinatam, dedicatam, conſecratam, addictam, mancipatam alicui. *tibi*] hoc eſt diuino tuo cultui. eſt enim deuotio actus voluntatis ſeſe totam diuino cultui deſtinantis. vnde dicitur homo deuotus, qui pietatis & religionis officijs ſe totum addixit. Etenim deuotio propriè idem eſt, quod dedicatio, ſeu conſecratio, ſic dicta à deuouendo, quod eſt dedicare, ac conſecrare. Dedicat ſe Deo, qui eius cultui, & religioni ſe addicit, eique adhæret. Nec quiſquàm adhæret Deo, qui non intelligit omnia bona eſſe à Deo. Ac qui Deum omnium bonorum authorem, & datorem agnoſcit, is quoque ſe omnium bonorum egentem, infirmumque cognoſcit. Quamobrem ex ſui cognitione humilitas, ex diuinarum diuitiarum notitia charitas, ex vtraque oritur deuotio. Itaque deuoti hominis præcipuæ virtutes ſunt humilitas, & charitas: quas equidem aſſidua fouet oratio, quæ cum Deo mentem hominis, voluntatemque coniungit. Deuotam voluntatem hoc loco intellige totam ipſam animi potentiam, ſeu virtutem volendi dedicatam Deo, ita vt, præter Deum, nihil amet. Quæ potentia licet ſit naturalis, tamen à ſe homo non poteſt velle veræ religionis & pietatis officia, ni diuino auxilio iuuetur. Quapropter quoniam non ſolùm homo, ſed nec quidem Angelus à ſe poteſt bonam voluntatem habere, ſed tantùm malam, ſiquidem à nobis mali ſumus, ipſam bonam voluntatem à Deo petimus, à quo bona cuncta procedunt. Si ſummam illam, cæleſtemque felicitatem ante peccatum homo nec vi mentis ſuæ percipere, neque optare poterat, multo minùs poterit poſt peccatum: ſed accendenda diuino lumine mens, & afficienda diuino amore voluntas eſt. *& ſeruire maieſtati tuæ corde ſyncero*] præſtò eſſe

tuo imperio, vel parere tuis mandatis voluntate ſimplici, recta, & munda. Cor pro voluntate vſurpari ſuprà *Domi. 2. Aduent.* diximus. Voluntas, quandoquidem volumus non ſolùm finem, ſed etiam ea, quæ ſpectant ad finem, tum eſt finis, tum etiam eorum, quæ ſpectant ad finem: cùm verò eſt finis, à Theologis propriè vocatur intentio. Simplex intentio, quæ & recta dicitur, eſt, cùm voluntas vnum tantùm finem reſpicit, in quem ſe, & alias vires animæ intendit; duplex verò intentio eſt, cùm voluntas duos inter ſe diſtantes fines ſimul reſpicit. exempli gratia, qui diuina mandata dumtaxat propter æternam beatitudinem ſeruat, is ſimplicem habet intentionem; qui verò etiam propter humanam mercedem, is duos fines ſpectat, dextrum, & ſiniſtrum; ſicque duplicem habet intentionem, ſeu duplex cor. De quo ſcriptura ſacra, Veh duplici corde. *Eccl. 2.* Atque iſthanc duplicem intentionem in ſcripturis ſacris ruga deſignat: quæ in ſponſa Chriſti nulla eſt, ſicuti nec macula ylla. *Epheſ. 5.* Ergo qui à Deo poſtulamus, vt deuotam ipſi voluntatem ſemper habeamus, iurè etiam petimus, vt ſimplici corde ſemper ipſi ſeruiamus. Neque enim deuotio conſeruabitur, ſi exequendis religionis & pietatis officijs aliud, quàm honor Dei, & beneuolentia quæretur. Poſſumus quoq; *corde ſyncero* interpretari puro, & mundo corde; quod ſuo nitet colore, ac nullius terrenæ rei affectu inquinatur. Sunt enim res terrenæ, ſi cùm animi bonis conferantur, ſordes: & inquinari nihil aliud eſt, quàm ſordidæ rei contactu pollui. Commaculatur igitur animus, cùm alicuius terrenæ rei deſiderio afficitur, perinde vt naturalis eius rei nitor inficitur, cuius naturalis color aliqua macula aſpergitur. Nec quicquàm eſt, quod animum æque fœdat, ac venerea voluptas,

ſuptas, quæ intelligentiam obſcurat, & rationem de ſua ſede deturbat, & animum ingenita nobilitate & dignitate diſpoliat. Sed & quod purum eſt cor, etiam ſimplex eſt; quia rectum eſt. Vnde in ſacris Prouerbijs legitur, Qui mundus eſt, rectum eſt opus eius. Nota illud aduerbium *ſemper*; quia ſemper Deum ante oculos habere, & diligere debemus: quippe non ſaluabitur, qui non perſeuerauerit in dilectione Dei vſque in finem. *Mat.* 10.

DOMINICA PENtecoſtes.

ORATIO.

Deus, qui hodierna die corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, et de eius ſemper conſolatione gaudere.

Deum quæſumus, vt eiuſdem Spiritus ſancti aduentu, quo diſcipulorum Chriſti corda hoc die Pentecoſtes illuſtrauit, & docuit, det nobis res bonas intelligere, & cæleſti ſemper conſolatione lætari.

Iudæi quinquageſimo die ab immolatione agni Paſchalis, quam in Ramatha celebrauerant, venerunt in montem Dei Horeb; qui etiam alijs nominibus Coreb, & Sina vocatur: vbi per manus Moyſis à Deo legem acceperunt in lapideis tabulis inſcriptam. Quem deinceps diem feſtum egerunt. Vocatuſque eſt is dies verbo græco Pentecoſte, hoc eſt quinquageſimus. Nam hoc nomen ex πέντε, hoc eſt quinque, & δέκα, hoc eſt decem compoſitum eſt. Nos quoque Pentecoſtem celebramus diem à reſurrectione Chriſti, quam Paſcha nominari diximus, quinquageſimum: quo die Spiritus ſanctus ad diſcipulos Chriſti miſſus è cælo eſt; in quorum cordibus nouam legem impreſſit, euulſoq; ſeruili timore, verum amorem inſeruit. Iudæi tamen vt Paſcha in feria quinta, ſic etiam Pentecoſtem in eadem feria celebrabant: nos verò die Dominico; quo & Chriſtus reſurrexit, & Spiritus ſanctus in igneis linguis Apoſtolis, cæteriſque diſcipulis Chriſti apparuit. Atque vt dies, ſic etiam annus quinquageſimus celebris fuit apud Iudæos; quo ſerui manumittebantur, data libertas confirmabatur, debita remittebantur, res alienæ reſtituebantur. Iſque annus remiſſionis dictus eſt Iubilæus. Spiritus ſanctus quoque anno Iubilæi miſſus & peccata dimiſit, & facultatem edendi miracula fidelibus Chriſti dedit. Conſtat iſte numerus quinquagenarius vel ex denario quinquies iterato, vel ex quinario decies geminato, vel ex ſeptenario ſepties duplicato, addita vnitate. qui numeri, alius alia ratione, pleni, & ſacri ſunt. Verùm iſthæc contemplatio non eſt huius loci. Sed huius nominis Spiritus ſancti explicanda notio eſt: tum eius vis; atque proprietas. Hoc nomen Spiritus ſanctus componunt Spiritus

& ſan-

& ſanctus. Quarè quid vtrunque ſignificet videndum eſt. Spiritus communiter ſignificat quid incorporeum, vel corporeum ita tenue, vt oculorum aſpectum penè effugiat, facilè permeans, ac mouens res alias. Itaq;, qui corporis expers omnia mouet, & penetrat, Deus Spiritus dicitur. Itidemque Dæmones tam boni, quàm mali vocantur ſpiritus: quanquàm in ſcripturis ſacris Dæmon pro malo & immundo ſpiritu ponitur. Anima etiam, quæ vitam, motumque dat corpori, ſpiritus nominatur: quem Chriſtus in cruce moriens æterno Patri commendauit: & quem B. Paulus ſaluum in die Domini noſtri Ieſu Chriſti fieri exoptat. Pars quoque animæ ſuperior, quæ & animus, & mens, & ratio nuncupatur, appellatur ſpiritus: aduerſus quem carnem concupiſcere tradit B. Paulus. Idemque Apoſtolus nos hortatur, vt ſpiritu mentis noſtræ, hoc eſt ratione, ſeu rationis motu renouemur. Necnon ſpiritus interdum ſignificat, quod phantaſma græci, latini viſum, ſeu ſpectrum appellant: quod videre ſe putarunt diſcipuli Chriſti, cùm in ipſorum medio Chriſtus poſt reſurrectionem ſtetit. Adhæc ſignificat aërem corpus tenuiſſimum, ac maximè mobile, vt illic Os meum aperui, & attraxi ſpiritum. Significat præterea ventum, halitum, flatum; vnde ſpirare, halare, flare ſignificationem habent eandem: ac per ſimilitudinem quandam ſignificat animi extollentiam, quam ſuperbiam dixeris. Ex quo ſuperbos vocamus inflatos. quo flatu & ſpiritu qui pauperes ſunt, beati. Eſt inſuper in corpore animato tenuiſſimus quidam ſanguis, qui ſpiritus nuncupatur: per quem vita, ſenſus, & motus corpori datur. Deus igitur ſpiritus eſt, & à quodam poëta rectè animus vocatur, qui præſtantiſſima mens eſt. Eſt etiam ſanctus, quia

Io. 4. & 2. Cor. 3.
Luc. 11.
Luc. 23.
1. Cor. 5.
Gal. 5.
Ephes. 4.
Luc. 24.
Pſ. 118.
Matt. 5.

quia mundus, caſtus,& inuiolatus eſt. Hoc quippe ſan-
*Leui.*11. ctus ſignificat. Eritis, inquit Deus, ſancti, quoniam
& 19.*et* ego ſanctus ſum. Quarè Pater & ſpiritus,& ſanctus
1.*Pet.*1. eſt: itemque Filius & ſpiritus, & ſanctus eſt: pariterq; tertià diuina perſona & ſpiritus, & ſanctus eſt. Attamen Spiritus ſanctus cum de Patre, aut Filio dicitur diuinam eſſentiam tantummodò notat, nullam relationem deſignat: verùm de tertia perſona relatè dicitur; quia notat originem, vnde emanat; nimirum perſonas Patris & Filij; è quibus, tanquàm ex vno principio procedit. Proinde vno nomine è duobus compoſito propriè vocatur Spiritus ſanctus. Neque abs re commune nomen fecit proprium, quia cùm ſit mutua Patris & Filij dilectio, qua ſe ſe mutuò diligunt (nam amor motum quendam, impulſumque ſignificat) rectè nomen Spiritus accepit. Ne verò putares ſuperbum aliquem, & crudelem Spiritum eſſe, vocatus eſt ſanctus. Græci, quem nos Spiritum ſanctum, ipſi πνεῦμα ſemper nominant, nunquàm πνοὴν: licet πνοὴ, ſicut πνεῦμα, ſpiritum ſignificet. Ac qua ratione eſt Spiritus ſanctus, eadem ratione eſt concordia, ſeu connexio Patris & Filij ob communem Patris *&* *Filij* dilectionem. Ob quam dilectionem dicitur etiam donum vtriuſque: quandoquidem vt amor ab vtroque erga vtrumque procedit. Et quia ſempiternè procedit, ſempiternè eſt donum. Quarè nomen hoc Donum à Patre & Filio Spiritum ſanctum relatione quadam, & proprietate diſtinguit. Cùm verò nobis donatur (donatur autem, cùm mentibus noſtris infunditur) tunc dicitur datum, ſeu donatum. Donum ſpectat dumtaxat originem; donatum verò non ſolùm donantem, ſed etiam eum reſpicit, cui donatur. Quarè

duplex

duplex eſt Spiritus ſancti proceſſio, vna æterna, qua ſimul à Patre & Filio ex omni æternitate eſt. quæ æterna proceſſio, ſicut æterna Filij generatio, nulla hominis intelligentia percipi poteſt. altera temporalis, qua à Patre & Filio ſimul ad ſanctificandam creaturam in tempore procedit. Quæ temporalis proceſſio dicitur etiam miſſio: quippe idem eſt donari nobis, quod ad nos mitti. Id fit, quando in nobis habitat: tunc verò Spiritus ſanctus in nobis habitat, cùm facit vt diligamus Deum. Vnde licet ſit in omnibus, quia Deus eſt vbique, non tamen habitat in omnibus, ſed tantùm in his, à quibus diligitur: nec diligi poteſt niſi ab his, à quibus cognoſcitur; nec cognoſci, niſi ab his, in quibus eſt ratio. Quarè in brutis nullam manſionem facit; neque etiam in homine, in quo eſt peccatum. Non enim cæleſti gratiæ cum peccato vlla eſt conſuetudo. Magis autem, minuſue ab homine, ipſe immutabilis exiſtens, concipitur, prout magis, minuſue Deus ab homine diligitur. Ac quia donatio, ſeu miſſio in tempore fit, ob idque communis eſt toti Trinitati, non ſolùm à Patre & Filio, verùm etiam à ſe ipſo Spiritus ſanctus nobis datur: ſicut etiam Filius, cùm ad nos venit, ſe ſe ipſe mittit. Cæterùm Spiritus ſancti miſſio, cùm videlicet in mentes fidelium illabitur, occulta eſt, fugiens oculorum aſpectum; cùm verò ſe in aliqua re, quæ ſub ſenſum cadit, declarat, aſpectabilis eſt; non quòd diuinam ſuam eſſentiam noſtris oculis aſpectabilem reddat, ſed quòd miſſionem ſuam per aſpectabilem creaturam indicet, ſignificans ſe in noſtris cordibus facturum ea, quæ à proprietatibus rerum corporearum, in quibus ſuum aduentum inſinuat, ſignificantur. Itaque cùm in ſpecie columbæ viſus eſt, diui-

nam

nam dilectionem; cùm in linguis igneis apparuit, cæleſtem illuminationem; cùm in flatu, ac vento ſe ſe oſtendit, ſuum afflatum, inſtinctumque monſtrauit. Nec tamen Spiritus ſanctus creatam naturam cum diuina in ſua perſona coniunxit, vt Filius in ſua perſona cum diuina humanam naturam copulauit. Idcircò Spiritus non fuit vlla ratione Patre, & Filio minor, ſicut Filius, qua homo eſt, & Patre, & Spiritu ſancto inferior eſt. Cæterùm Spiritus ſancti proprietates indicãtur à nominibus, quæ ipſi attribuuntur. Dicitur enim
Rom.8. ob amorem Spiritus Dei, vt illic Qui ſpiritu Dei aguntur, hi Filij Dei ſunt; atque etiam Spiritus Domini, vt
Sap.1. illic Spiritus Domini repleuit orbem terrarum; & ob mutuum Patris & Filij amorem (vt antè notauimus)
Io. 14. dicitur donum Dei. Dicitur quoque Spiritus veritatis,
& 16. quoniam obſcuras figuras veteris Teſtamenti manifeſtat, atque omnem veritatem docet, dignus cui creda-
Rom.1. tur. Inſuper dicitur Spiritus ſapientiæ, quia in rerum diuinarum, & ad noſtram ſalutem ſpectantium cognitionẽ nos ducit. Et quia ſanctos nos facit, dicitur etiam
Rom.1. Spiritus ſanctificationis. Adhæc dicitur Spiritus promiſſionis, quia vitam æternã in veritate promittit: necnon pignus hæreditatis noſtræ vocatur; quippe quo ſe Deus ad dandam nobis æternorum bonorum poſſeſſionem
Epheſ.1. obligat. Sic B. Paulus, In quo & credentes ſignati
et 2.Cor. eſtis Spiritu promiſſionis, qui eſt pignus hæreditatis
1.& 9. noſtræ. Et propter cæleſtium bonorum diſtinctionem
Luc.11. vocatur digitus Dei. Sunt enim digiti præ cæteris corporis partibus inter ſe ipſi benè diſtincti. Cæleſtia verò dona licet nobis à tota Trinitate donentur, tamen, quia gratis pro mera liberalitate & benignitate donantur, Spiritui ſancto præcipuè adſcribuntur; qui eſt Patris

& Fi-

& Filij amor. Præterea, quia diuina luce mentem illuminat, & cæleſti amore voluntatem accendit, nominatur flamma, & ignis; & propter cæleſtis gratiæ copiam abluentis peccata (nam gratia viuæ aquæ aſſimilatur) fons viuus dicitur; & propter eiuſdem gratiæ in noſtris cordibus diffuſionem inſtar olei fouentis confirmantiſque nos contra aduerſariorum pugnam vnctio vocatur. Vocatur etiam paracletus græcè, latinè conſolator. Quidam legunt paraclytus per y græcum breue: quòd ſi ſic legeretur, multorum Grammaticorum iudicio ſignificaret inglorium. nam παρὰ græcè, latinè præter, κλύτος græcè, latinè gloria dicitur. At paracletus penultima longa, latinè vel aduocatus, quoniam in diuino iudicio ſuam nobis præſentiam accommodat, interceditque pro nobis; vel conſolator dicitur, quoniam animi perturbationes ſedat, & ingentibus lætitijs ipſum afficit. In Eccleſia legitur penultima breui, puto propter verſum iambicum; qui in vltima ſede habet iambum conſtantem è ſyllaba breui & longa. Hymni verò Eccleſiæ maximè iambis conſtant. Nec ſolùm Spiritus ſanctus, verùm etiam Chriſtus eſt & aduocatus, & conſolator: nec tamen natura differunt, ſed ratione quadam; quia Chriſtus, vt mediator, Spiritus ſanctus verò, vt qui humiles triſteſq; ſolatur. Neq; omittam dicere Chriſtũ aſſimilari capiti, quod eminet, propter aſpectabilem, quam aſſumpſit, naturam; Spiritum ſanctum verò aſſimilari cordi, quia vitam Eccleſiæ tribuit. Cæterùm Spiritus ſanctus & in terra datus eſt, cùm Chriſtus poſt reſurrectionem in diſcipulos ſuos inſufflauit, ad oſtendendam proximi dilectionem, & è cælo etiam datus eſt propter dilectionem Dei. Nec multus datus eſt, niſi poſt Chriſti aſcenſionem,

multas ob cauſas. Nam ante eius Aſcenſionem diſcipuli corporis Chriſti præſentia detinebantur; nec dum genus humanum cùm Deo Patre reconciliatum erat; nec membra erant tanto decore ornanda, non priùs
Cap. 7. capite glorificato, vt B. Ioannes ait, Spiritus non erat datus, quia nondum Ieſus glorificatus. Vbi verò glorificatus eſt, & ad dexteram Dei Patris conſedit in cælo, tunc Spiritus ſanctus è cælo miſſus eſt, ac plenè illuſtrauit, & accendit corda diſcipulorum Chriſti. Eodemque nos pacto illuſtrari, & accendi nunc poſcimus. *Deus, qui hodierna die*] quæ eſt quinquageſima à reſurrectione Chriſti, vocaturque græcè Pentecoſte. *docuiſti*] erudiſti. *corda fidelium*] mentes habentium Chriſti fidem, diſcipulorum, inquàm, Chriſti, qui eadem in domo conuenerant expectantes aduentum Spiritus ſancti promiſſi à Chriſto. *illuſtratione Spiritus ſancti*] ſplendore, quo Spiritus ſanctus diſcipulorum Chriſti mentes accendit, vt res arcanas & diuinas, atque occultos & reconditos ſacræ ſcripturæ ſenſus intelligerent. Quam mentium illuſtrationem aſpectabili ſigno indicauit, nimirum linguis igneis. Lingua enim docentis eſt inſtrumentum: & locutio Spiritus ſancti eſt afflatus, quo animum mouet, & inſtruit. Et quia non ſolùm mentes docuit, ſed etiam corda inflammauit, in linguis igneis apparuit. *da etiam nobis*] Chriſti fidelibus *ſapere recta in eodem ſpiritu*] eiuſdem Spiritus illuſtratione, ſiue ad eundem ſplendorem intelligere, quæ recta ſunt, nimirum quæ vera de Deo ſunt, & viuendi veram continent rationem, *& gaudere ſemper de conſolatione eius*] & de eius ſolatio perpetuam lætitiam capere. Conſolatur autem Spiritus ſanctus fideles interiore locutione, & doctrina, ac diuinarum rerum amore:

quo

quo labores,& dolores pro Deo lubenter ſufferimus. Nec amanti quicquàm durum & difficile eſt.

DOMINICA PRIMA
poſt Pentecoſtem.

ORATIO.

Deus in te ſperantium fortitudo, adeſto propitius inuocationibus noſtris, & quia ſinè te nihil poteſt mortalis infirmitas, præſta auxilium gratiæ tuæ, vt in exequendis mandatis tuis & voluntate tibi, et actione placeamus.

Deum, qui ſperantes in ſe fortes, & conſtantes facit, quæſumus, vt nobis eius implorantibus numen adſit, ac ſua gratia, quando minùs pro humana fragilitate conſiſtimus, opituletur; qui diuinis mandatis conficiendis & voluntate, & actione ipſi placeamus.

Hinc incipit quartum tempus, quod peregrinationis, ſeu regreſſionis vocatur: quo videlicet ad patriam redimus. Ad quam quia non niſi per diuinorum mandatorum viam peruenitur, atque ab hac via multi nos hoſtes nunc vi abſtrahere, nunc dolo abducere mo-

liūntur, neque nos ipſis reſiſtere pro noſtra fragilitate poſſumus, diuinum auxilium poſtulamus, & grátiam; quæ diuinis mandatis faciendis & voluntatem noſtram rectè dirigat, & actiones benè componat. Atque aptè, dùm conſtantiam & firmitatem à Deo petimus, ipſum fortitudinis prædicamus authorem. *Deus fortitudo in te ſperantium*] fortitudo eſt firma animi affectio, qua & audenter pericula adimus, & coſtanter labores, & dolores pro honeſtate perferimus: in audendo animus ira acuitur, in tolerando ſpe ſuſtentatur. Qui ſpem in Deo ponit, à Deo confirmatur,
Pſ.145. & fortis efficitur. Ac beatus (vt inquit Dauid) cuius Deus Iacob adiutor eius: ſpes eius in Domino Deo ipſius, qui fecit cælum & terram, & omnia, quæ in eis ſunt. Itaque Deus eſt in ſe ſperantium fortitudo. Nec verò Deus ſic eſt humani animi fortitudo, vt ſit ipſa animi qualitas & affectio, ſed quia firmitatem animo, atque conſtantiam contra mala, quæ rationem à vero bono retrahere poſſunt, ingenerat: eſt, inquàm, noſtræ fortitudinis (vt philoſophi loquuntur) efficiens cauſa, non formalis. Ingenerat autem firmitatem atque conſtantiam Deus in his, qui diuinis uiribus nituntur. Hi ſunt humiles, qui nihil ſe boni à ſe habere cognoſcunt, ſed accepta bona omnia Deo referunt. Sperare in Deo eſt in Deo ſpem ponere, ac nihil boni à quoquàm, niſi à Deo, expectare; neq; aliud ſalutis perfugium & præſidium habere, quàm
Cap.40. diuinum. Qui ſperant in Domino (inquit Eſaias) mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut Aqui-
Cap.2. læ: & in Machabæorum priore libro legimus, Omnes, qui ſperant in illo, non infirmantur: & Dauid inquit,
Pſ.25. In Dominum ſperans non infirmabitur: atque his ſimili-

ſimilibus ſententijs tota ſcriptura ſacra plena eſt. Atq; hoc ipſum innumera ſanctorum exempla confirmant. Sperant autem in Deo, qui diuinis præceptis obtemperant: non ſperant, qui bonitatem non faciunt. *adeſto propitius*] clementer faue *inuocationibus noſtris*] implorationibus noſtris. Implorare autem eſt humili voce opem petere. Adeſſe inuocationibus eſt opem humiliter poſcentibus afferre. Quid imploremus ſequentibus verbis declaratur. *& quia infirmitas mortalis*] humana fragilitas, ſeu fragilis, & imbecilla hominū natura. Vſus latinæ linguæ habuit, vt mortales diceret pro homines: ob id mortalis pro humana poſitum eſt. Poſitumque eſt abſtractum pro concreto, ſeu forma pro compoſito, aut qualitas pro habente ipſam qualitatem ad maiorem ſignificantiam. *nihil poteſt ſine te*] nullam vim habet, ſi tuam opem & dexteram ſubtraxeris. *preſta auxilium gratiæ tuæ*] da nobis tuam gratiam adiuuātem nos contra inimicorum noſtrorum conatus. Quod auxilium faciet *vt in exequendis mandatis tuis*] vt in conficiendis, vel, ſine præpoſitione *in*, conficiendis præceptis tuis, *placeamus tibi & voluntate*] hoc eſt bona intentione, *& actione*.] hoc eſt recto opere. Poteſt quis mandata Dei facere, ſed aut non bona intentione, nimirum cùm propter mercedem terrenam, non propter Deum illa facit; aut non recta actione, videlicet, cùm rectam actionis rationem non ſeruat. Intentio finem ſpectat, actio viam. Quare qui recte agit, recte ambulat. qui verò recte ambulat, placet Deo. Proinde B. Paulus Theſſalonicenſes monet, vt quemadmodum oporteat ambulare, vt Deo placeant, ambulent. Sed de bona rectaque actione ſuprà dictum eſt. Vt igitur diuina mandata rectè conficiamus, diuina gratia

1. Theſſ. 4
Dom. infra Oct. Natiuit.

tia & auxilio indigemus: quo & voluntas, & actio ad diuinæ voluntatis normam dirigantur, atque formentur.

DOMINICA SECVNDA *poſt Pentecoſtem.*

ORATIO.

Sancti nominis tui Domine timorem, pariter & amorem fac nos habere perpetuum: quia nunquàm tua gubernatione deſtituis, quos in ſoliditate tua dilectionis inſtituis.

Timorem Dei cum amore coniunctum, quem ipſius ſancti nominis claudit ſignificatio, petimus à Domino dari nobis perpetuum: quia ſemper ab eo reguntur, qui ab eo in ſolida charitate firmantur.

Regis, ac Domini omnium duo ſunt præcipua, & potiſſima nomina, ſcilicet Deus, & Qui eſt: quorum hoc ab ipſa eſſentia, illud ab vniuerſali rerum omnium gubernatione deſumptum eſt. Ac quoniam diuina eſſentia nulla poteſt ratione ab humana intelligentia comprehendi, ideò nullo proprio nomine exprimi poteſt. nàm voces ſunt notæ rerum ab intelligentia comprehenſa-

henſarum. At nomen Deus, quod præſtantiſſimam naturam deſignat vniuerſa regentem, quia nobis eius prouidentia magis nota & perſpicua eſt, à nobis potiùs, vt eius proprium nomen vſurpatur. Deus, à quo ſunt, & gubernantur omnia, ita eſt pater, vt ab ipſo ſit quicquid ortum eſt. Itaque monemur à Christo, *Mat.23.* ne patrem alium vocemus, quàm Deum: ita etiam eſt dominus, vt eius imperio res omnes animatæ & inanimæ ſubiectæ ſint. Quòd ſi patri debetur amor, & domino timor, Deum, qui idem eſt pater, & dominus, amare, pariter & timere debemus. Quod quia *Malac.1.* non facimus, ſic ab ipſo reprehendimur, Si ergo pater ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? Quòd Deus velit amari ex illo præcepto notum eſt, Diliges Dominum Deum tuum: *Deut.6.* quodque velit timeri ex illis eius verbis percipis, Et nunc Iſrael quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi *Deu.10.* vt timeas Dominum Deum tuum? Sunt timor, & amor dona Dei, nec quidem inter ſe contraria; cæteroquin eſſe ſimul in eodem nequirent; ſed diuerſa. Amor, ſeu dilectio tam eſt rei bonæ, quàm malæ; ſed malæ propiè dicitur cupiditas, bonæ verò in ſcripturis ſacris propriè charitas nominatur. Atq; amor eſt animi ad rem aliquam vt bonam commotio. nam licet mala ſit, tamen vt bona appetitur. timor verò per ſe eſt metus mali appropinquatis: at quando eſt cum amore coniunctus, eſt obſeruantia, & reuerentia quædam erga maiores. Quod verò B. *1.Cap.4.* Ioannes ait, Perfecta charitas foras excludit timorem, non de omni timore dictum intelligas. Nam multiplex eſt timor. Vnus enim timor eſt mali, quod quis ſperat euadere: quem Theologi mundanum vocant:
qui

qui eſt reijciendus. nam hunc habens timorem peccare non timet. De hoc timore Chriſtus apud Matthæum
*Mat.*20. Nolite, inquit, timere eos, qui occidunt corpus: &
Pſ. 13. Dauid, Illic trepidauerunt, vbi non erat timor, nempe in rerum temporalium amiſſione. Alter timor eſt ſeruilis, quo quis timet, vt ſeruus, non quidem offendere, ſed offendi, & puniri à ſuo Domino. Hoc timore nos abſtinemus à peccatis. Ideoq; hic timor eſt initium ſapientiæ; quia per hunc timorem declinat omnis à malo: & qui ſinè hoc timore eſt, vt Eccleſiaſticus
*Cap.*1. ait, iuſtificari non poterit. Hoc timore rogat in Pſal-
Pſ. 118. mo Dauid configi carnes ſuas. Tertius timor vocatur initialis, eò quòd incipit amari, quod durum erat. Hic timor incipit excludi ex eo animo, in quo incipit Dei charitas habitare. Quartus timor eſt filiorum timentium offendere, quem diligunt, caſtus, & ſanctus
1.*Io.* 4. in charitate perfecta; quæ imperfectum timorem foras
*Pſ.*18. excludit. De hoc Dauid, Timor Domini ſanctus: &
*Rom.*8. B. Paulus, Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis. Hic adoptionis timor dicitur etiam reuerentiæ; qui in Chri-
Hebr. 5. ſto etiam fuit. De quo B. Paulus, Et exauditus eſt pro ſua reuerentia. Hunc timorem cum amore coniunctum (eſt enim donum Dei) à Deo petimus: qui
Pſ. 30. timor magnam habet dulcedinem, vt ille ait, Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te. *Fac*] tuam largiendo gratiam, ſinè qua nec verè amari, nec rectè timeri potes. *nos habere timorem, pariter & amorem nominis tui ſanctiſſimi perpetuum*] nos te ſemper amare, & timere, qui es pater, & dominus, vt nomen tuum Deus deſignat. Ne verò timorem, vel amorem nominis intellige ipſius

vocis,

vocis, quæ è ſyllabis conſtat, ſed rei, quam nomen Deus ſignificat. Eſt enim vniuerſorum Domini nomen Deus. quod nomen rem ſanctiſſimam, & auguſtiſſimam, & inuiolatam ſignificat. Quid ſanctum ſignificet infrà docebimus. Eſt additum *pariter*, hoc eſt ſimul, vt intelligas eſſe cum amore coniungendum timorem. Additum quoque eſt *perpetuum*, hoc eſt continuatum, ſeu perenne: quia deſtituimur à gubernatione diuina, cùm incipimus timorem, & amorem Dei relinquere. Vt igitur in Dei cura, & tutela ſemper ſimus, ſemper eum amare debemus. *quia nunquàm deſtituis gubernatione tua*] quia nunquàm deſinis gubernare, & regere eos, *quos inſtituis*] conſtituis, ponis, collocas tanquàm in quodam firmiſſimo, & eminente præſidio. *in ſoliditate*] firmitate, ſeu firmitudine, & eminentia *dilectionis tuæ*] charitatis tuæ: quæ eminens, ac firma eſt, fortiſque ita, vt nulla re aduerſa vinci queat, perinde vt mors. In illis verbis *deſtituis* & *inſtituis* aduerte figuram verborum, quam Rhetores Paronomaſiam vocant; quæ ſimilitudine vocum delectat, & rei proprietates diſtinguit.

Dom. 3. poſt Pēt.

Cantic. 8.

DOMINICA TERTIA poſt Pentecoſtem.

ORATIO.

Protector in te ſperantium Deus, ſinè quo nihil eſt ualidum, nihil ſanctum, multiplica

ſuper nos miſericordiam tuam, ut te rectore, te duce, ſic tranſeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna.

A Deo ſuorum defenſore, & à quo firmitas omnis, & ſanctitas eſt, copioſam miſericordiam poſcimus, vt, ipſo nos regente, & ducente, non amittamus nimio affectu bonorum temporalium æterna.

Hoc regreſſionis tempore, quod eſt (vt diximus) à Pentecoſte vſque ad Domini aduentum, Eccleſia ſuis orationibus diuinum auxilium à Deo poſtulat; quo nos progredientes ſuſtentet, atque ab inimicis noſtris, & aduerſis rebus omnibus tueatur, ſummotiſque impedimentis ad regnum cæleſte perducat. Proin hodierna oratione diuinam gratiam poſcimus, quæ nos ad patriam properantes non ſinat horum terrenorum bonorum affectu detineri, vnde amittamus æterna. *Protector*] defenſor. Protegere eſt ab ictu aduerſarij tegere. hoc autem eſt defendere. Deus, quos amat (amat autem eos, qui ſperant in ipſo) ab imminentibus malis, & inimicorum conatibus protegit atque defendit. *ſperantium in te*] ſpem in te collocantium. Hoc ſuprà ex-

Domi. 1. poſt Pét. poſitum eſt. *ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum*] à quo eſt vis omnis, & ſanctitas. Validum eſt idem, quod firmum atque robuſtum. Sanctum quandoque mundum, caſtum, inuiolatum, & religioſum ſignificat; vnde Chriſtiani vocati ſunt ſancti, quaſi Chriſti ſanguine è pec-

catorum

catorum ſordibus elui; quandoque etiam ſignificat conſtans, & ſtabile, quaſi ratum, atque ſancitum; vnde leges dicuntur ſanctæ, quaſi ratæ, atque ſancitæ: hoc loco ſanctum interpretabimur mundum, & inuiolatum. nam pro firmo poſitum eſt validum. Etenim ex ſe cuncta in interitum, & in nihilum abeunt, atque ex ſe mala, & immunda ſunt: ſi quam verò firmitatem, bonitatem, & pulchritudinem habent, à Deo habent. *multiplica miſericordiam tuam ſuper nos.*] auge tuam erga nos pietatem, hoc eſt maiore nos pietate complectere. Miſericordia, ſeu miſeratio, aut commiſeratio, vel pietas eſt ex alterius miſeria commotio, ſiue affectio animi, quæ nos cogit, ſi poſſumus, miſero ſubuenire. & quia nos cogit vnà cum miſero homine dolorem animo ſuſtinere, quidam miſerationem non vſitato à latinis verbo compaſſionem appellant. Nec verò quidem in Deo, qui immutabilis eſt, ſunt commotiones animi, quas nonnulli paſſiones vocant, quales in nobis ſunt: verùm, quæ nos ex animi affectu facimus, ipſe ſinè affectu facit. Ob quos effectus ſimiles his, qui ex humanis affectibus proficiſcuntur, tribuimus ipſi affectus. Exempli gratia, effectus iræ eſt pœna, ſiue vltio iniuriæ: proinde, cùm Deus punit, dicimus eum iraſci. itidemque, cùm Deus alicuius neceſſitati ſubuenit, dicimus ipſum miſereri. *ſuper nos*] ſupra nos, qui in inferiore loco, & naturæ conditione ſumus. vnde Spiritus ſanctus eſſe ſuper Chriſtum, qua Chriſtus homo eſt, dicitur. nam, qua Chriſtus eſt Deus, Spiritus ſanctus in Chriſto eſt, & Chriſtus in Spiritu ſancto. vel circunfundi, & contegi diuina miſericordia rogamus. Non enim illam, quæ omnibus communis eſt, ſed ſingularem quandam, & magnam optamus; qua nos regat, & *Eſa. 61.*

ſaluet. *Vt, te rectore*] te nos regente. *te duce*] te nos ducente. quod inſtando ſinè coniunctione dictum eſt. Nec certè ſolùm præcipit Deus facienda, ſed etiam opitulatur ad illa adimplenda. Sequi ducem Deum eſt ſequi diuinum inſtinctum, & ductum. *ſic tranſeamus*] hoc pacto abeamus *per bona temporalia*] ſuprà diximus bona quædam eſſe æterna, quædam temporalia. In bonis temporalibus non inſiſtamus nos, qui in cælum tendimus; ſed ipſis tantùmmodò vtamur. Temporale quandoque dicitur, quod in tempore fit; quandoque, quod tempori ſubiectum eſt; cui quod ſubiectum eſt, caducum & mortale eſt. Omnia terrena bona ſubiecta ſunt tempori. ergo omnia ſunt caduca. *vt non amittamus*] bona æterna, & immortalia, quæ tempori ſubiecta non ſunt, ſed ſemper durant, & nos verè beatos efficiunt. Propter terrena bona amittimus æterna, quando ita inhæremus terrenis, vt negligamus æterna. De his, qui terrenis bonis inhærent, illud dici po-
Pſ. 75. teſt, Dormierunt ſomnum ſuum omnes viri diuitiarum, & nihil inuenerunt in manibus ſuis.

DOMINICA QVARTA poſt Pentecoſtem.

ORATIO.

Da nobis, quæſumus, Domine, vt & mundi curſus pacificè nobis tuo ordine dirigatur,

tur, *&* *Eccleſia tua tranquilla deuotione lætetur*.

Petimus & pacatum humanarum actionum curſum, & tranquillæ deuotionis lætitiam.

Iter facientibus nobis ad cælum & exterior, & interior optanda tranquillitas eſt, ſiue exterior, & interior pax. De vtraque pace ſuprà dictum eſt. *Da nobis*] tuis fidelibus, tu, qui cæleſtia, ſimul & terreſtria moderaris. *ut & curſus mundi*] vt & humanarum rerum celer ac velox motus, atque mutatio. Curſus quandoque pro ſpacio, per quod curritur; quandoque pro concitato motu ponitur, vt hoc loco. Mundi, ſi pro hoc corpore magno accipitur, curſus ſemper eſt idem, & ordinatus; quinetiam ſtellarum errantium conuerſiones ſemper ratæ & coſtantes ſunt; dicuntur tamen errantes, quia non ſemper æqualiter, vt ſtellæ, quæ in firmamento ſunt, inter ſe diſtant: verùm, ſi pro homine, humaniſq; rebus & actionibus accipitur, inſtabilis, & inconſtans, ac ſæpè etiam turbulentus eſt curſus. *dirigatur pacificè*] ita componatur, vt pacatè & tranquillè fluat *nobis* in noſtram vtilitatem, & ſalutem, *ordine tuo*] tua diſponente & ordinante ſapientia. Ordinare eſt cum ratione res multas diſponere. procedit enim ordo à ratione. qui autem ordinat, antè animo finem capit, & ad ipſum finem deinde cætera dirigit. quod quidem munus eſt ſapientis. Itaque ordo eſt multarum rerum ad certum finem cum ratione diſpoſitio. Rogamus igitur Deum, qui ad gloriam ſuam, & ſalutem noſtram omnia

Domi. 2. poſt Epiphaniā.

dirigit,

dirigit, vt actiones humanas ſic componat, vt curſum
Domi. 5. poſt Epiphaniã. pacatum habeant. *& Eccleſia tua*] quæ eſt (vt ſupra diximus) domus, & familia Dei, *lætetur*] lætitiam capiat de *deuotione*] animi diuino cultui mancipatione. Parit enim deuotio lætitiam. Nam animus ſecum ipſe lætatur, cùm aduertit ſe in eius eſſe famulatu, qui famulos ſuos beatos efficit. Quæ quidem lætitia turbatur, cùm deuotio ab aduerſis rebus interrumpitur. De de-
Dom. infra Oct. Aſcenſ. uotione ſuprà etiam dictum eſt. *tranquilla*] omni animi perturbatione carente. Tranquilla deuotio eſt interior pax animi diuino cultui conſecrati; ad quam non parum facit exteriorum rerum pacatio.

DOMINICA QVINTA *poſt Pentecoſtem.*

ORATIO.

Deus, qui diligentibus te bona inuiſibilia præparaſti, infunde cordibus noſtris tui amoris affectum, vt te in omnibus, & ſuper omnia diligentes, promiſſiones tuas, quæ omne deſiderium ſuperant, conſequamur.

A Deo, qui amicis ſuis æterna bona præparauit, eius dilectionem petimus, qua ipſum in omnibus, & præ omnibus rebus amantes, ea, quæ ſuis omni voto maiora promiſit, obtineamus.

Bona,

Bona, quæ Deus prædeſtinatis & electis ante mundi conſtitutionem parauit, non ſunt terrena & caduca, ſed cæleſtia & æterna, quæ ſenſum omnem effugiunt, neq; vlla poſſunt animi cogitatione comprehendi. Sic Eſa- *Cap. 64.*
ias ait, Oculus non vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Quòd ſi diuina illa bona cogitationem omnem & intelligentiam latent, etiam omne votum & deſiderium effugiunt. Amamus enim ea, quæ cognoſcimus: & quò minus, magiſque aliquid cognoſcimus, eò magis, minùſque illud amamus. Diuina igitur promiſſio, quæ omnem humanam intelligentiam vincit, etiam omne hominis deſiderium ſuperat. Quando autem ad diuinas promiſſiones pio erga Deum animi affectu itur (ſunt enim affectus quidam quaſi animi pedes) meritò Dei charitatem petimus, qua ad prædeſtinatis præparata & promiſſa bona gradiamur. *Deus, qui præparaſti*] ante mundi conſtitutionem paraſti, vel præordinaſti: ni dicas compoſitum *præparaſti* pro ſimplici *paraſti* poſitum. Et quibus ſanè Deus præparauit æterna bona, nimirum æternam gloriam, eiſdem quoque præparauit res eas, quibus æterna gloria comparatur. Atque hoc eſt prædeſtinare, nimirum in hac vita gratiam ad obtinendam æternam gloriam præparare. *bona inuiſibilia*] non aſpectabilia, hoc eſt non corporea. Etſi inuiſibile propriè eſt, quod tantùm oculorum ſenſum fugit, tamen pro inſenſili ponitur: quia quod aſpectum omnium ſenſuum præſtantiſſimum latet, omnino inſenſile habetur. Quod autem inſenſile eſt, incorporeum eſt. quod verò incorporeum eſt, immortale eſt. Ergo bona inuiſibilia ſunt bona æterna. Sic B. Paulus ea, quæ non videntur, vocat æterna; tem- *2. Cor. 4.*

poralia

poralia verò ea, quæ videntur, *diligentibus te*] dilectione amicitiæ; quæ charitas nominatur. Omnes equidem tam boni, quam mali, Deum amant, dum ſummum bonum amant; nec quiſquàm eſt, qui ſummum bonum non amet. at is amor eſt naturalis, nec beatum
Dom.13. hominem facit; quia cum Deo ipſum non coniungit,
poſt Pet. vnumq́ue ſpiritum efficit. verùm amor amicitiæ eſt, quo Deum propter Deum diligimus, & à Deo ſingulari modo diligimur: dum nos approbationis (vt Theologi loquuntur) notitia cognoſcit, & per Spiritum ſanctum in nobis inhabitat. Atque is amor eſt mutuus; qui propriè charitas nominatur, ac Deo nos charos reddit, ſociatq́ue cum Deo. Hunc ſanè amorem non inſerit homini natura, ſed Deus infundit. *infunde affectum amoris tui*] Infundere eſt inſtillare, & eſt liquoris, qui in vas aliquod infunditur. Aſſimilatur autem aquæ Dei gratia, quia eluit ſordes animi, emollit durum pectus, reſtinguit ardorem libidinis. *affectum amoris tui* interpretare vel affectum, ſiue animi commotionem, quam efficit amor tuus, ſeu charitas; vel amorem, ſiue affectum animi erga te. *cordibus noſtris*] noſtris animis, ſeu voluntatibus. *ut diligentes te in omnibus*] ſiquidem eſt Deus in omnibus ſua (vt docent Theologi) eſſentia, præſentia, potentia, atque vniuerſa continet. Itaque Deum in omnibus cognoſcere, & diligere poſſumus. *& ſuper omnia*] ſupra res omnes: quia ipſe eſt omne bonum, cui ſoli adhærendum eſt. *conſequamur promiſſiones tuas*] ea, quæ diligentibus te pollicitus es. Igitur non diligentes Deum non eſt, quòd diuina promiſſa exigant. Iudæis quidem iam paruulis promiſit Deus bona terræ, adultis verò Chriſtianis promiſit bona cæli.
Hebr.8. Ideoque nouum teſtamentum ait B. Paulus vetere melius,

ſius eſſe, quia meliores promiſſiones habet. Verumtamẽ illa terreſtria bona, quæ in vetere teſtamento promiſſa ſunt, figuræ cæleſtium bonorum fuerunt. Quæ quidem promiſſiones, ſeu bona promiſſa *ſuperant deſiderium omne.*] vincunt omnem hominis appetitionem: quia omnem ſenſum, & intelligentiam vincunt. Sequitur enim cognitionem deſiderium. Deſiderium autem eſt amor boni abſentis. Bona illa cæleſtia maiora ſunt omni humano deſiderio; quia nihil poteſt à nobis deſiderari, quod non inferius ſit omni bono cæleſti.

DOMINICA SEXTA post Pentecoſtem.

ORATIO.

Deus virtutum, cuius eſt totum, quod eſt optimum, inſere pectoribus noſtris amorem tui nominis, & preſta in nobis religionis augmentum, ut, quæ ſunt bona, nutrias, ac pietatis ſtudio, quæ ſunt nutrita, cuſtodias.

Deum authorem omnium virtutum, & continentem omne bonum oramus, vt charitatem in noſtris animis inſerat; augeatque religionem, qua res bonas nutriat, nutritaſque conſeruet.

Charitatem, & religionem à Deo poſtulantes primas, principeſque virtutes, quæ nos Deo maximè coniungunt, aptè ipſum authorem, & datorem omnium virtutum prædicamus. *Deus virtutum*] nomen virtutis à latinis primò inuentum eſt ad notandam fortitudinem non ſolùm animi, verùm etiam corporis; ductumque eſt à viro. vir enim fortem ſignificat. ſed deinde in omnes animi laudabiles affectiones deriuatum eſt. quarum quædam ſunt intellectus, vocanturq́; à quibuſdam intellectuales; quædam appetitus, nominanturq́; morales, vt in libris, quos de virtute compoſuimus, diximus. Eſt autem omnis virtus à Deo, à quo eſt non ſolùm omnis animi vis, ſed etiam omnis vera cognitio, & bona affectio. Ipſe enim appetitum benè afficit, & intelligentiam vero lumine illuſtrat. Virtutes intellige tam humanas, quàm diuinas, tam acquiſitas, quàm infuſas. *cuius eſt totum, quod eſt optimum*] Quæcunq; ſunt, qua ratione ſunt, bona ſunt: habetque res quæq; ſuam bonitatem atq; perfectionem: ac quò res quæq; præſtantior eſt, eò eſt alia melior. Nihilque omnino eſt, quod omnes virtutes atque perfectiones contineat, niſi vnus Deus; qui à ſe eſt, atque aliorum principium & cauſa. Ideoq; græcè τὸ ἀγαθὸν, hoc eſt ipſum bonum, ſeu ſummum bonum eſt; quia bonitatem omnem à ſe habet. Iurè igitur quod optimum & perfectiſſimum eſt, totum eſt Dei, in quo vno bona omnia ſunt. *inſere amorem nominis tui pectoribus noſtris*] Amor nominis Dei eſt amor & dilectio præſtantiſſimæ naturæ, quam nomen Deus ſignificat, vt ſuprà explicuimus. Inſeri propriè eſt arborum. Charitas, quæ eſt amor Dei, & ſuprà aſſimilata eſt aquæ, hic aſſimilatur arbori propter bona opera, quæ ex ipſa enaſcuntur, & appel-

Dom. intra Oct. Natiuit.

: appellantur fructus. *& praſta augmentum religionis in nobis*] auge religionem in nobis. Augmentum vox eſt minùs à bonis latinis vſitata, ſed auctio, accretio, incrementum eſt vox latina. At, quid religio ſit, explicandum eſt. Religionem Philoſophi definiunt ſcientiam colendi Dei: verùm quia religio non in ſola cognitione conſiſtit, rectiùs finitur cultus Dei, ſeu virtus, per quam Deo debitum cultum tribuimus. Debetur autem cultus maioribus, qui noſtri, noſtrarumque actionum curam gerunt. Ij ſunt rectores noſtri, ac genitores, & Deus: qui omnes ob quandam curæ ſimilitudinem appellantur Patres. Veneratio erga rectores obſeruantia, erga parentes pietas, erga Deum religio propriè nominatur: quæ religio etiam pietas dicitur, quatenus Deus verè, & maximè eſt omnium pater. Ac quia primus, & ſummus honor debetur Deo, cuius eſt maxima excellentia, quoniam eſt præſtantiſſima eius natura, ideò à græcis dicta religio eſt εὐσέβεια bonus cultus, ſiue θεοσέβεια Dei cultus. Dictaq; eſt à latinis religio vel à religando, quòd nos cum Deo vinciat; vel à relegendo, ſiue à diligente eorum, quæ ad diuinum cultum pertinent, tractatione, & quaſi relectione; vel à reeligendo, ſiue à multa rerum diuinarum electione. Ad religionem faciunt Dei cognitio, dilectio, veneratio; veneramurque Deum & interiore animi affectu, & exteriore cultu, honorem erga ipſum, & quæ ipſius ſunt, exhibendo: quem exteriorem honorem ei potiſſimè in ſacrificijs, & ceremonijs deferimus. Licet enim ipſa virtus religio præcipuè in animo ſit, tamen, vt corpus animo, ſic exterior cultus deſeruit interiori. Religioni ex altera parte aduerſatur impietas (nam religionem dici pietatem oſtendimus) quæ quidem im-

pietas vel Deum eſſe negat, vel res diuinas negligit: ex altera parte repugnat ſuperſtitio, quæ eſt vana quædam religio vel tribuens Deo, quæ à natura diuina abhorrent, vel ab eo timens, quæ timenda non ſunt. Cum religione coniuncta ſanctitas eſt. Sed de pietate, ſanctitate, religione commodiùs alio loco dicemus, ne in vnum locum omnia congeramus. Cæterùm à veri Dei cultu nos remouent Dæmon, caro, mundus. Dæmon à diuinis mandatis obtemperatione nos multis modis conatur auertere: caro ſuis rationem illecebris corrumpit: mundus rerum terrenarum curis, & vanis cogitationibus animum implicat. Et terrena contemnere, voluptates ſpernere, diuinis mandatis obtemperare ſinè diuino numine haud quidem poſſumus. Ac quò maior in nobis eſt Dei cognitio, & amor, eò & religio maior eſt. Dum igitur in nobis augeri religionem petimus (& quidem omnes virtutes, dum in hac vita ſumus, augeri poſſunt, quia ſemper proficere poſſumus) etiam Dei nominis amorem augeri poſtulamus. *vt nutrias, quæ ſunt bona*] nutrire phyſicis eſt deperditam viuentis ſubſtantiam reparare. reparatur autem ſubſtantia conuerſione cibi in viuentis ſubſtantiam. Bona ſunt, quæ noſtræ ſaluti conueniunt. Conueniunt noſtræ ſaluti cogitationes bonæ, affectiones ſanctæ, voluntates rectæ, locutiones honeſtæ, actiones laudabiles: quæ facilè à contrarijs rebus ob inſitam in nobis malam cupiditatem labefactantur, & ni iiſdem ſtudijs inſtaurentur, citò depereunt. *ac cuſtodia*] conſerues bona, *quæ ſunt nutrita*] educata. *ſtudia pietatis*] hoc ad *cuſtodias*, & ad *nutrita* poteſt referri. Nam ſtudio pietatis educamus bona, & eodem ſtudio pietatis educata bona conſeruamus. Studium eſt aſſidua, & vehemens

Dom. 22 poſt Pét.

animi

animi circa rem aliquam occupatio. Pietas verò ſignificat hoc loco religionem, cultumue diuinum, ſeu magis deuotionem. Non enim tantùm erga parentes obſeruantiam, ſed etiam erga Deum venerationem pietas (vt modò diximus) ſignificat. Dei cultus propriè dicitur religio; diuino autem cultui dedicatio animi nominatur deuotio. Poſtulamus igitur Dei beneuolentiam, vt ipſum magis ac magis veneremur.

DOMINICA SEPTIMA
poſt Pentecoſtem.

ORATIO.

Deus, cuius prouidentia in ſui diſpoſitione non fallitur, te ſupplices exoramus, ut noxia cuncta ſubmoueas, & omnia nobis profutura concedas.

Deum ſua diuina prouidentia ſine errore cuncta diſponentem oramus, vt à nobis omnia mala remoueat, & opportuna concedat.

Duo ſunt regentis alios præcipua munera, alterum eſt ab aduerſis, & nocentibus rebus ipſos tueri; alterum eſt ipſis vtilia, & ſalutaria procurare. Atque has ſanè ob cauſas olim fuiſſe conſtitutos reges à rerum ſcriptoribus accepimus, vt nimirum communi ciuium vtilitati proui-

prouiderent, atque ab aduerſis rebus eos defenderent. Hic vtique finis, hic rectæ gubernationis eſt ſcopus, nempe aliorum tranquillæ vtilitati, ſalutique conſulere, non ad ſuas opportunitates, & cupiditates dominationem transferre. Quòd verò Deus omnia regat, ipſe totius mundi ratus & conſtans ordo declarat: quem omnium ſapientiſſimorũ hominum ingenia ſemper mirum in modum admirata ſunt. Prouidet porrò Deus omnibus, quia rem quanque in finem ſuum, hoc eſt in ſuam perfectionem dirigit; tribuens cuique quod ipſi conueniens eſt. Hoc ſiquidem eſt regere. Et quia differentes ſunt naturæ, naturarumque perfectiones, ideò ſunt differentium rerum differentes fines: ſed qui tandem omnes ad vniuerſalem quendam, & communem omnium finem, ſcilicet Dei gloriam, ſeu diuinæ potentiæ, ſapientiæ, bonitatis celebrationem referuntur.
Cap. 16. Nam (vt in ſacris Prouerbijs legitur) propter ſemet ipſum omnia operatus eſt Deus, in ſuam laudem, & gloriam omnia referens. Sic vnde profecta ſunt omnia, eodem reuertuntur: atque vt communi principio, ſic etiam communi fine cuncta conueniunt. Cæterùm habet Deus peculiarem quandam de homine curam, quam non habet de belluis. Non enim animal brutum, ſed hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam fecit, vt autorem ſuum agnoſceret, atque amaret, eiuſq; beneuolentia frueretur. Quocircà hominis intelligentiam veritatis lumine illuſtrat, & voluntatem ſummi boni deſiderio afficit, atque actiones diuina lege ſanctiſque præceptis ad veram, æternamque felicitatem inſtituit. Ac licet homo ſit ſui iuris, ſuarumque dominus actionum, quarum principium in ſua poteſtate habet, tamen indiget gubernari ſemper à Deo, à quo

pendet:

pendet: cuius inſtinctu ad comprehendendum ipſum bonum excitetur, cuiuſque ductu ad æternam vitam tutò, & feliciter perducatur. Sic igitur noſtræ ſaluti Deus proſpicit, ſic optimè de humano genere meretur. Quo ſanè pacto non eſt ipſi (vt B. Paulus ait) cura de bobus: qui quoniam rationis expertes ſunt, felicitatis æternæ participes non ſunt. Sed de diuina prouidentia ſuprà multis egimus. Oremus igitur *Deus*] qui eſt Deus, idem eſt Dominus omnium. Domini eſt ſubditos regere, & Dei eſt rebus à ſe procreatis conſulere. Eſt igitur præſtantiſſimæ illius, diuinæque naturæ propria prouidentia. *cuius prouidentia*] cuius prouidendi, gubernādiue ratio. Prouidere quandoque eſt videre aliquid, antequàm eueniat; ſic prouidentia eſt futurorum; pertinetque ad prudentiam, quæ cum præteritis futura connectit, vt rectè adminiſtret præſentia: quandoque eſt conſulere, & adminiſtrare; ſic prouidentia gubernandi rationem ſignificat. Ergo Dei prouidentia eſt ipſa gubernandi, quæ in diuina mente eſt, ratio. Quæ Dei prouidentia *non fallitur in diſpoſitione ſui*] non errat, dum res vniuerſitatis pro ſe ipſa, ſuaue ratione diſponit. Diſponere eſt ordinare: ordinare eſt ad certum finem res diuerſas dirigere. Diſpoſitio itaque eſt diuerſarum rerum ad certum aliquem finem ordinatio. Dei prouidentia, quæ eſt diuina ipſa gubernandi ratio, æterna eſt: huius verò rationis executio, quæ in rerum ordinatione ſpectatur, dicitur diſpoſitio; & eſt temporalis, ac certa ſemper, & ſtabilis. Ergo *in diſpoſitione ſui* interpretabimur in ſuæ rationis executione. *non fallitur*] non errat, ſeu nullo errore ducitur. Ne quis benè regat, duo maximè officiunt, videlicet veri ignorantia, &

1. Cor. 9.

Domi. 2. poſt Epiphaniā.

tia, & praui cupiditas. Aut enim rationes ignorat, quibus alijs proſit, aut mala cupiditate affectus, aliorum ſpretis vtilitatibus, ſuæ tantùm libidini ſeruit. Atqui abeſt omnis à Deo ignorantia, qui omnia cernit & intelligit, neque vlla in ipſum cadit perturbatio, qui optimus eſt, omnibus bonis fruens, perfectiſſimus, & immutabilis. Non igitur in errorem vllum diuina prouidentia induci poteſt. *ſupplices exoramus*] proſtrati ad pedes precamur te. Exorare propriè eſt orando impetrare, ſed hic poſitum eſt pro orare, compoſitùm pro ſimplici. *ut ſummoueas cuncta noxia*] vt res omnes malas à nobis, nocenteſque remoueas. Hoc eſt vnum munus Regis, nimirum à ſuis ſubditis præſentia mala remouere, & repellere venientia. Res malæ, & noxiæ ſunt, quæ aut animo, aut corpori nocent, ſimpliciter quidem fugiendæ, quæ animum vitiant; non ſimpliciter verò, quæ corpori obſunt. Sunt enim hæ dumtaxat ea ratione fugiendæ, qua rerum bonarum ſtudia retardant: ſed quoniam aliquando ad ſalutem animæ faciunt, ideò non ſunt ſimpliciter fugiendæ. Quando autem proſint, aut obſint, Deus nouit. *& concedas*] pro tua liberalitate dones *omnia profutura nobis*] quæcunque nobis vtilia & opportuna fuerint. Hoc eſt alterum munus Regis, nempe ſuis bona procurare. Nec timendum eſt, ne, quæ noxia, quæue vtilia nobis futura ſint, ignoret Deus, cuius prouidentia in rerum diſpoſitione & gubernatione minimè fallitur.

DOMI-

DOMINICA OCTAVA poſt Pentecoſtem.

ORATIO.

Largire nobis, quæſumus, Domine ſemper ſpiritum cogitandi quæ recta ſunt propitius, & agendi, ut, qui ſinè te eſſe non poſſumus, ſecundum te uiuere ualeamus.

Deprecamur Deum, vt ſuo nos afflatu continenter ad cogitanda, & agenda bona propitius moueat: vt pro eius voluntate viuamus, ſinè quo eſſe non poſſumus.

Qui nobis potentiam, ſeu virtutem intelligendi,& volendi dedit, idem quoque noſtram intelligentiam,& voluntatem ad cognoſcendum verum, & appetendum bonum mouet,& regit. Eſt enim Deus omnis motionis principium, à quo pendent vniuerſa. Nec tamen cùm vel intelligentia, vel voluntas noſtra mouetur à Deo, quia extrinſecus mouetur, ideò motus eius eſt violentus. Nam neque cæli motus, cùm in orbem à cæleſti intelligentia, quæ eſt ab ipſo ſeiuncta, verſatur, violentus eſt. Habent enim intelligentia,& voluntas ad cognoſcendum verum, & appetendum bonum, velut

ad conuerſionem cælum, naturalem propenſionem. Tunc ſanè violenti forent earum motus, cùm impellerentur ad ea, quæ ipſarum inclinationi, & perfectioni repugnarent. Si Deus omnibus rebus ſuas formas indidit, ſi formarum virtutes ad certa opera inſtituit, &
Pſ. 146. dirigit, ipſe certè omnia mouet, & regit. Quamobrem
Pſ. 118. dicitur Deus fœnum in montibus producere, & homi-
et Iob 10. nem plaſmare, ac pelle, & carnibus veſtire; quia cum alijs cauſis ipſarum propria munera ipſe exequitur. Itaque in omnibus ipſe omnia efficit. Doctéque philoſophi docent ea, quæ in rerum vniuerſitate fiunt, magis à principe cauſa, quàm ab alijs cauſis fieri: quippe quarum virtus accepta principi cauſæ refertur. Adhæc Deus voluntatem hominis ſic mouet, non vt vllam ipſi vim inferat, ſed vt liberam poteſtatem relinquat vel obſequendi, vel repugnandi diuinæ motioni. An ſi quidpiam ageres alicuius hortatu, diceres inuitò te illud agere? non profectò: ſiquidem tua voluntate ageres. Non aliter voluntas noſtra diuinum inſtinctum non coacta, ſed ſua ſponte conſequitur. Mouet autem intelligentiam noſtram Deus, & rerum ſpecies, quas contempletur, ipſi proponens, & ad illarum contemplationem ipſam exacuens. Itemque voluntatem mouet, & appetendæ rei formam ipſi obijciens, & ad illam amplexandum ipſam excitans. Quando igitur nos à nobis ſinè diuino afflatu neque cogitare, neque velle bonum vllum poſſumus, Deum oramus, vt pro ſua benignitate nos diuino *inſtinctu* ad rectè cogitandum, & benè agendum ſemper ipſe commoueat. *Largire*] pro tua liberalitate concede, *propitius*] benignus & clemens, *ſemper*] nam vbi nos afflare deſinis, & nos rectè cogitare, ac benè agere deſiſtimus.

mus. At in bonis cogitationibus, & actionibus perſeuerantia nobis eſt neceſſaria. *ſpiritum cogitandi*] tuum ſanctum ſpiritum, & afflatum, quo cogitemus, aut qui nobis ad cogitandum ſtimulos adhibeat. Quid ſit cogitare, & quæ cogitationes bonæ, aut malæ ſint, alibi diximus. *quæ recta ſunt*] recta ſunt, quæ ad ſummum bonum ſpectant: quò omnia referre debemus. Vnde cùm mala cogitamus, vt ea vitemus, quòd à ſummi boni adeptione nos retrahant, etiam rectè cogitamus. *& agendi*] non ſatis eſt ad ſalutem cogitare, verùm etiam oportet, quæ cogitamus, bona facere: neque eſt vlla bona actio ſinè cogitatione, & ſcientia; cæteroquin voluntaria non eſſet. Suntque actiones quidam quaſi fructus cogitationum. *nobis*] tuis famulis, atque fidelibus. *ut* nos, *qui non poſſumus eſſe ſinè te*] ſinè quo nihil eſt. Nam ſi quicquàm Deus vlla ex re ſe ſubtraheret, illa vtique in nihilum abiret. *ualeamus*] poſſimus *uiuere ſecundum te*] ſecundum voluntatem tuam, aut pro tua voluntate, ſeu conuenienter tuæ voluntati viuere. Viuere non ſolùm ſignificat reſpirare, ſed etiam modum quendam actionum tenere. Nam & vita non ſolum ſpiritum, ſed etiam modum actionum (vt aliàs diximus) ſignificat. Quæ ſit autem voluntas Dei docent diuina præcepta. Viuit itaq; ſecundum Deum, qui diuinis præceptis obtemperat.

Domi. 2. Quadr.

Domi. 1. Aduent.

DOMINICA NONA post Pentecoſtem.

ORATIO.

Pateāt aures miſericordiæ tuæ Dōmine precibus ſupplicantium, &, vt petentibus deſiderata concedas, fac eos, quæ tibi ſunt placita, poſtulare.

Deum rogamus, vt paratus ſit noſtras preces audire; atque, vt exaudiat, inſtruat nos, quæ ipſius animo arrident, poſtulare.

Cùm de oratione loqueremur, diximus orationem, vt exaudiatur à Deo, tres conditiones habere debere, nimirum vt petantur ad ſalutem animæ neceſſaria, vt cum fiducia, vt conſtanter. Nam, quæ ſunt animæ ſa-
1. Tim. 2 luti neceſſaria, Deo penitus accepta & chara ſunt, qui vult omnes homines ſaluos fieri. quocircà ſimpliciter & abſolutè petuntur. Verùm, quæ ad ſalutem animæ faciant, neque ſcire, neque deſiderare nos à nobis ſinè diuina gratia poſſumus. Proinde poſcimus à Deo, vt ſuo numine inſtruat nos, quæ ipſi placita ſunt, poſtulare. *aures miſericordiæ tuæ*] Deo membra corporis per ſimilitudinem quandam attribui, & quid quodque ſignifi-

ſignificet, aliàs docuimus. ſed & audaciùs alicuius virtutis, vt prudentiæ, pietatis, fortitudinis, tanquàm perſonæ imaginem deſcribimus. quæ imaginis deſcriptio græcè proſopographia vocatur. Hac vſi figura diuinæ miſericordiæ aures affingimus. Quæ quidem aures diuinæ miſericordiæ ſunt ipſe Deus miſericorditer nos audiens. Eſt enim miſericordia Dei Deus ipſe miſericors. Miſericordia quid ſit, aliàs diximus, & mox infrà etiam dicemus. *pateant precibus ſupplicantium*] patere aures eſt audire. Audire Dei eſt concedere, quæ poſtulantur. Supplicare eſt alicui manus tendere, humiliterq; precari. *&, ut concedas deſiderata petentibus*] vt domes ſupplicantibus, quæ optant. *fac eos poſtulare, quæ placita ſunt tibi*] effice, tua eos gratia inſtruente, vt petant, quæ tibi placent. Placent Deo, quæ ad noſtram ſalutem, & ſuam gloriam faciunt. Etenim petentibus, quæ Deo placent, ipſe bonus, & præſens eſt.

Domi. 3. Aduent.

Domi. 3. poſt Pēt. & 10.

DOMINICA DECIMA poſt Pentecoſtem.

ORATIO.

Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtas, multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, ut ad tua promiſſa currentes cæleſtium bonorum facias eſſe conſortes.

Deus,

Deus, cuius omnipotentia ignoſcendo,& commiſerando maximè cernitur, obſecramus, vt ſuam erga nos miſericordiam augeat, quos ad diuinas promiſsiones currentes æternorum bonorum participes efficiat.

Pro certo habendum eſt ſolius Dei eſſe condonare peccata; qui vnus à ſe vim habet, vtpote rerum omnium dominus, omnibus imperandi, ac viuendi leges,& iura condendi; à quibus quæ diſcrepant humana iura iniuriæ ſunt. Nec cuiquàm fas eſt legem vllam alijs imponere, cui poteſtas à Deo collata non ſit. Omnis enim poteſtas à Deo eſt, à quo vis omnis, & virtus emanat.
Rom.13.
Etenim ſi peccatum eſt, quod contra diuinam legem fit, neque integrum eſt impunitatem violatæ legis dare, niſi ei, penes quem eſt condendæ legis poteſtas, certè veniam peccati dare non poteſt, ni qui diuinam legem edixit. Vnde Dauid adulterij,& homicidij veniam à Deo petens, ei ſoli ſe peccaſſe fatetur, contra cuius legem illa facinora commiſerat. Adhoc omne peccatum eſt in voluntate, quod contactu ſuo nitorem animæ commaculat. Atqui ſolus Deus corda hominum ſcrutatur, qui ſolus per res omnes meat. Solus igitur de peccatis noſtris poteſt rectè iudicare, qui ſolus peccata noſtra penitus perſpicit, planèq; cognoſcit: idemq; ſolus poteſt ex noſtris animis ſordes peccatorum eluere, qui ſolus gratiam donat, quâ peccatorum maculæ notæq; delentur. Solus quoq; hominum voluntatibus dominatur, qui ſolus animorum motus, & appetitiones regit,& explet. Cùm igitur vnus Deus in res omnes ſummum imperium habeat,
Pſ.50.

beat, noſtrarumque cogitationum, & actionum cognitor ſit, unus utique Deus hominum peccata & ut iuſtus iudex punit, & ut clemens imperator remittit. Sed quo pacto Deus parcendo, & miſerando ſuam omnipotentiam maximè manifeſtet, iam hic quæritur. At certè illud perſpicuum eſt Deum regendis animis, quàm corporibus potentiam ſuam indicare maiorem: quia naturæ incorporeæ nobiliores & præſtantiores ſunt, quàm coporeæ. Dominatur autem naturis corporeis idem, qui incorporeis dominatur; quoniam idem vtraſque creauit. Proinde Chriſtus, vt oſtenderet ſe dimittendi peccata ius & facultatem habere, ac deinceps Deum eſſe, ſuo nutui & febres, & ventos, & mare præter vſitatum naturæ ordinem parere coëgit. Tum qui facultatem habet ignoſcendi, nullius lege conſtringitur, ſed ſummum ipſe ius habet. Ideoque Rhetores deprecationem, qua ſibi reus ignoſci precatur, negant apud iudices locum habere, penes quos poteſtas ſumma non eſt, ſed apud eos, qui nullius imperio ſubiecti, & rerum domini ſunt. Itaque cùm Deus hominum peccatis ignoſcit, à nullo ſe pendere, ſed ſummam poteſtatem habere demonſtrat. Præterea id, quò Deus refert hæc, quæ facit, eſt hominem ad æternam gloriam perducere: perducit autem iuſtificando: iuſtificat verò parcendo. Itaque gratia, qua homo iuſtificatur, donum Dei maximum, & præſtantiſſimum eſt. Quarè iuſtificatio creatione maior eſt, non ſolùm quia Deus hominem ſinè homine creauit, non autem ſinè homine hominem iuſtificat, verùm etiam quia gratia, qua homo iuſtificatur, quouis alio Dei dono maior, & potior eſt. Adhæc ignoſcere eſt miſereri, vt mox dicetur. At diuina miſericordia om-

nium

nium diuinorum operum principium, & fundamentum eſt. Igitur diuina miſericordia omnium diuinorum bonorum primum, & ſummum eſt. Quamobrem parcendo Deus, & miſerando maximè ſuam omnipotentiam manifeſtat: & ſi clementia propria eſt Dei, certè miſereri, & parcere proprium eſt Dei. *Deus, qui maximè manifeſtas omnipotentiam tuam parcendo, & miſerando*] omnipotentia Dei quæ, qualiſque ſit, ſuprà diſces, vbi Deum omnipotentem eſſe oſtendimus. Ac ſummæ, & maximæ potentiæ eſt peccata dimittere, vt modò edocuimus. Parcere idem eſt, quod ignoſcere, condonare, veniam dare, peccata remittere, non animaduertere, non punire, & (vt hoc verbo vtar) non imputare, ſiue non adſcribere, vel ad pœnam non reſeruare. Idque eſt Deo non videre peccata, quod impunita dimittere, ſeu tegere, ac nolle animaduertere. Nam quæ vult animaduertere, ea ſanè aduertit. Ac iurè beati ſunt, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata: beatuſque vir, cui non imputauit Dominus peccatum. Solus quippe Deus, penes quem eſt ſumma rerum omnium poteſtas, peccata dimittit, peccatorumque maculas abſtergit, pœnaſque condonat. Vnde ipſe de ſe ait, Ego ſolus deleo iniquitates, & peccata populi. Quia verò cùm Deus homini parcit, eius miſeretur, videtur illud *& miſerando*] ad explicandam vim verbi parcere additum: ni velis omnem Dei miſericordiam notari. verùm non in omni commiſeratione Deus omnipotentiam ſuam maximè manifeſtat. Nam dum pauperi ſubuenit, non ſuam maximam potentiam oſtendit. Miſerari, ſeu miſereri, aut commiſereri eſt aliorum malis miſericordia affici, ita vt, ſi nobis integrum ſit, illis prompto animo ſubueniamus. Mala,

Dom. intra Oct. Natiuit.

Pſ. 31.

Eſa. 43.

quorum

quorum aſpectus animum miſericordia afficit, ſunt ea, quæ vel animum contriſtant, vel corpus affligunt. Neq; omnium hominum malis ad miſericordiam commouemur, ſed eorum, qui vel errore, vel humanæ naturæ fragili conditione in miſerias inciderunt: alioquin non miſeremur eius, qui iuſto ſupplicio punitur. Quis enim (inquit Cicero) patricidæ, aut proditoris ſupplicio miſericordia commouetur? cùm in ea re (vt ait Ariſtoteles) honeſtum, & æquum ſit lætari? Ideóq; Deus non eſt miſertus Dæmonis; quoniam de crimine imminutæ diuinæ maieſtatis eum non ignorantia, non infirmitas animi, ſicut hominem de inobedientia, modo aliquo excuſauit. Hinc nimirum eſt, quòd poëtæ tragici, vt commiſerationem in animis ſpectantium moueant, non ſceleſtos homines miſeros inducunt, ſed eos, qui vel falſa opinione, vel aliqua perturbatione animi lapſi ſunt in aliquod facinus, à quo miſeri effecti ſunt. Cæterùm in Deo non eſt (vt aliàs diximus) affectus, ſeu mœror, ſed effectus miſericordiæ, qui eſt alienæ miſeriæ ſubuenire. Tunc igitur miſeretur noſtri Deus, cùm malis noſtris ſubuenit. Atqui noſtrorum malorum maximum eſt peccatum, quod mentem obcæcat, & animum ſanie inficit. Ergo maximè noſtri miſeretur, cùm peccata nobis remittit, hoc eſt parcit. Itaq; parcere & miſereri Deo idem ſunt. *maximè manifeſtas*] inprimis, ac ſummè claram, & apertam facis: quia maximam potentiam oſtendis. *multiplica miſericordiam tuam ſuper nos*] maiore nos pietate complectere. Hæc verba ſuprà explicata ſunt. *vt facias nos currentes ad promiſſa tua conſortes eſſe bonorum cæleſtium*] ideò maximam Dei miſericordiam, & auxilium poſcimus, vt è peccatorum emiſſi vinculis in æternorum bonorum poſſeſſionem feramur.

Tuſc. 4. *In Poët.* *Domi. 3. poſt Pét.* *Domi. 5. poſt Pét.*

Domi. 5. poſt Pét. Promiſſa, ſeu promiſſiones Dei ſunt bonorum æternorum: quæ neque ſenſu, neque intelligentia poſſunt à nobis hac in vita percipi. Ad quas promiſſiones, tanquàm Dom. 12. poſt Pét. ad propoſitum brauium (vt alibi dicetur) currere nos oportet. Cæleſte ſignificare æternum, & immortale Domi. 2. poſt Epiphan. aliàs docuimus: itemq; docuimus quid bonum, & quot genera bonorum ſint. Diuinorum bonorum partici- Cap. de Orat. pes, ſeu conſortes fiunt, qui Deo ſeruiunt: nec diuitiæ cæleſtes quicquàm diminuuntur, licet ab infinitis participentur.

DOMINICA VNDECIMA poſt Pentecoſtem.

ORATIO.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuæ et merita ſupplicum excedis, & vota, effunde ſuper nos miſericordiam tuam, vt dimittas, quæ conſcientia metuit, et adijcias, quod oratio non præſumit.

Deum, qui ſupplicantium & merita, & vota ſua maxima benignitate vincit, quæſumus, vt in nos ſuam miſericordiam profundat, remittatq;, quod conſcij metuimus, & adiungat, quod petere non audemus.

Deum eſſe dominum,& iudicem vniuerſorum ſæpe dictum à nobis eſt. Quapropter ad Deum,qui humanam ſocietatem regit, pertinet humanis actionibus præmium, pœnamue tribuere. Etenim noſtræ actiones, quatenus humanæ naturæ conueniunt,dicuntur bonæ; quatenus ratione reguntur, nominantur rectæ; quatenus voluntariæ ſunt,laudantur;quatenus verò diuinam iuſtitiam reſpiciunt,pœnam à Deo,præmiumuè merentur, vocanturq; à Theologis meritoriæ, aut demeritoriæ. Nam, vt B. Paulus Galatis ſcribit, Quæ ſeminauerit homo,hæc & metet: & Corinthijs, Vnuſquiſq; propriam mercedem accipiet. Hæc merces, quam Deus benefacientibus ſtatuit, eſt ille denarius, quem operarijs in vinea ſua perſoluit, vita ſcilicet æterna. Quæ ſanè merces cùm infinitè ſit quouis humano labore,& opere maior, ſiquidem cum infinito finitum comparari nullo modo poteſt, ipſius tributio non eſt re ipſa operi æqualis, ſed ex præſcripto Dei,qui ſanxit, vt, qui cum diuina ſua gratia benè operaretur, cæleſte præmium reciperet. Itaque non ratione humanæ virtutis, ſed diuinæ gratiæ, quæ eſt pretium par cœleſtis gloriæ, nempe cum qua parem vim habet, ἰσονομία, hoc eſt æqua tributio fit. Igitur meritum, hoc eſt opus, quo diuinam mercedem meremur (etſi quandoque ſignificat ipſam mercedem) è duobus fluit principijs, nempe è noſtra voluntate, & diuina gratia. Niſi enim voluntarium foret, nullum ipſi præmium deberetur; & ni cæleſtis gratia voluntatem informaret, cæleſti præmio dignum non eſſet. Ac quia ſinè gratia nullum eſt omnino meritum, ideo gratia præſtantius, & antiquius principium meriti eſt. Hinc Theologi meritum aliud faciunt (vt ipſorum verba vſurpem) ex condigno, cùm videlicet

Cap. ult. *1. Cor. 3.* *Matt. 20.*

delicet merces æqua tribuitur; aliud ex congruo, cùm reſpicitur non operis noſtri vis; ſed remunerantis Dei cum dignitate benignitas. Ideoq; cùm tantùm modò
Rom 8. voluntas noſtra ſpectatur, non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis; ſed ipſas Deus pro ſua liberalitate, atque munificentia mercede explet maiore, quàm merentur: cùm verò Spiritus ſancti gratia mouentis, regentiſq; noſtram voluntatem reſpicitur, tales habentur, vt ipſis ratione cæleſtis gratiæ præmium cæleſte iure, & meritò debeatur. Sic porrò Deus & liberalitate ſua munificentiſſimè vtitur, & iuſtitiam optimè ſeruat. Sunt inſuper aliæ quædam actiones humanæ bonæ naturali bonitate, non diuina; quas nimirum naturalis ratio, non Spiritus ſancti gratia exornat: hæ nullo modo mercedem æternam exigunt, ſed tamen aliquibus bonis temporalibus à Deo compenſantur, ne vllum benefactum non aliquando remuneretur. Nos verò, qui nullam vi-
Pſ 50. tam eſſe credimus, niſi cæleſtem, nullum meritum dici putamus, cui non merces æterna perſoluitur. *Deus, qui excedis*] excedere propriè eſt vel exire, vel eminere; à quibuſdam, vt hoc loco, pro vincere, & ſuperare vſurpatur. *merita*] meritum quandoque ſignificat beneficium, quandoque factum, cui præmium aliquod, vel pœna debetur. Itaque meritum tam eſt rectè, quàm malè factum: & ſi frequentiùs à Theologis vſurpatur pro rectefacto, eoq;, cui merces diuina tribuitur: malè verò factum vocatur demeritum. Quia verò plures ſunt actiones bonæ, ſeu rectefacta, ideò dicimus merita.
Domi. 1. poſt Epiphan. *& vota*] optata, ſeu deſideria, vt aliàs expoſuimus. *ſupplicum*] ſeu ſupplicantium. quæ vox quoque aliàs
Domi. 5. poſt Epiſ. explanata eſt. *abundantia pietatis tuæ*] copia, vel vbertate

pietatis

pietatis tuæ, hoc eſt abundante, ac copioſa tua benignitate, & clementia. *effunde ſuper nos miſericordiam tuam*] quod ſuprà dictum eſt *multiplica*, hoc loco dicitur *effunde*, ſeu *profunde*. nam ad peccatorum remiſsionem opus eſt magna Dei miſericordia. *& dimittas*] remittas, ſeu condones, *quæ conſcientia metuit*] ſcilicet noſtris peccatis debita ſupplicia. Conſcientia eſt noſtri animi de noſtris rectè, maleue factis ſcientia. Itaque conſcientia noſtra ipſa nobis eſt teſtis eorum, quæ fecimus. Quarè peccatorum noſtrorum conſcij, pœnaſque timentes à Deo, veniam poſtulamus. *& adijcias*] ad peccatorum veniam addas ea, quæ noſtra *oratio non præſumit*] non audet, adde, quod vt facilè intellectu prætermiſſum eſt, *petere*; nempe donum illud cæleſte, quod nos tibi gratos, & charos magis ac magis efficit. Præſumere propriè eſt antè ſumere; verùm à quibuſdam, vt hoc loco, vſurpatur pro audere, quàm tamen latinè haud ſcio. Oramus igitur Deum, vt pro ſua maxima pietate & peccata nobis ignoſcat, & Spiritus ſancti gratiam, atq; incrementum gratiæ donet.

Dom. 10. poſt Pēt.

DOMINICA DVODECIMA poſt Pentecoſtem.

ORATIO.

Omnipotens, & miſericors Deus, de cuius munere venit, vt tibi à fidelibus tuis dignè, & laudabiliter ſeruiatur, tribue, quæſumus,

mus, nobis, vt ad promiſſiones tuas ſinè offenſione curramus.

Deum, cui fideles eius ex diuina gratia dignè, & laudatè ſeruiunt, precamur, vt det nobis ad ea, quæ promiſit, curſum abſque vlla offenſione tenere.

Seruit Deo, qui Dei præcepta, vt par eſt, facit. At Dei præcepta, vt par eſt, facere ſinè charitate poteſt
Rom. 5. nemo. Charitatem verò Deus per Spiritum ſanctum in noſtris cordibus diffundit. Igitur quòd homo cum dignitate, & laude ſeruiat Deo, Dei munus eſt. Cuius etiam ſingulari quodam egemus auxilio, quo, dum ad diuina promiſſa currimus, adiuuemur, vt ne vlla re aduerſa lædamur. Hoc auxilium petimus. *de cuius munere uenit*] ideſt, cuius donum eſt. Munus quandoque officium, quandoque donum, vt hoc loco, ſignificat. Præpoſitio *de* valet idem, quod *ex*, & *ab*: ac quandoq; materiam, è qua, notat, vt cùm dicimus ſtatuam ex, vel de ære factam; quandoque cauſam efficientem, & originem indicat, vt cùm dicimus Ieſum Chriſtum de Spiritu ſancto conceptum, hoc eſt opera Spiritus ſancti, & de monte fontem emanare, hoc eſt à monte. ſic *de cuius munere*] interpretamur à cuius dono *uenit*, prouenit, ſiue emanat. *ut dignè*] ſicut decet, *& laudabiliter*]
Luc. 1. cum laude. Dignè, & laudabiliter ſeruit Deo, qui in ſanctitate, & iuſtitia ſeruit, ſanctè quoad Deum, iuſtè quoad homines. Et quidem diuinorum præceptorum quædam honorem Dei reſpiciunt, quædam proximi vtili-

vtilitatem. De ſanctitate alibi. Iuſtitia eſt æquitas inter eos ſeruanda, inter quos eſt iuris ſocietas. Omnes autem homines naturali quodam iure ſociati ſunt: laudanturque, qui humanam communionem tuentur; contrà vituperantur, qui illam violant. *ſeruitur*] quid ſit Deo ſeruire aliàs diximus. *à fidelibus tuis*] ſuprà etiam dictum eſt qui ſint fideles Dei. *tibi*] omnium patri, & domino. *tribue nobis, quæſumus*] da, concede, largire nobis tuis famulis, atque fidelibus gratiam, ſiue auxilium, *ut curramus ad promiſſiones tuas ſine offenſione*] curſus eſt celer corporis motus. vnde currere eſt celeri motu corporis ſe ſe agere. Aeterna gloria, quæ piè viuentibus à Deo promiſſa eſt, aſſimilatur à B. Paulo brauio, ad quod per ſtadium curritur. Vt enim curſores in ſtadio ita currunt, vt brauium comprehendant, ſic in hac vita nos gerere debemus, vt tandem aliquando propoſitam beatitudinem accipiamus. Currere ad cæleſte brauium eſt omnibus viribus niti, atque contendere ad capeſſendam æternam felicitatem. Atque vt curſores ſtudent in curſu non cadere, ſic nos caueamus in crimen aliquod incidere; quod & diuinam maieſtatem, & noſtram pariter ſalutem offendat. Ergo *ſine offenſione* interpretaberis ſine crimine. Solus autem Deus poteſt nos vſque in finem ſine crimine incolumes cuſtodire. Ipſe igitur orandus eſt, vt nos iuuet ad deſtinatum ſupernæ vocationis brauium, promiſſamque gloriam ſine vlla offenſione percurrere.

Domi. 3. & 22. poſt Pét.

Domi. 2. Aduent.

Domi. 2. poſt Paſcha.

1. Cor. 9.

Philip. 3.

DOMI-

DOMINICA XIII. poſt Pentecoſtem.

ORATIO.

Omnipotens ſempiterne Deus da nobis fidei, ſpei, & charitatis augmentum; et, vt mereamur aſſequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis.

Fidem, Spem, & Charitatem à Deo poſcimus in nobis augeri, diuinorumque mandatorum dilectionem inſeri, qua promiſsionem æternæ gloriæ conſequi mereamur.

Fides, Spes, & Charitas virtutes ſunt, quas vocant Theologicas, tum quia nobis infunduntur à Deo, tum quia Deum ipſum reſpiciunt, non ſolùm vt opificem vniuerſi, verùm etiam vt noſtræ felicitatis authorem. Sunt enim cæleſtes quædam, & diuinæ qualitates, quas nec natura nobis ingenerat, neque vllo nos à nobis ſtudio comparamus, ſed à ſe Deus noſtris animis inſerit; quibus inſtructi & ornati ipſum verum, & ipſum bonum, quod beatos nos facit, cognoſcimus, & amamus. Quarè intelligentiam illuſtrantes, & voluntatem rectè afficientes totum hominis animum perficiunt. Prima

eſt

eſt fides, quæ nos ducit in ſummi boni, quod ſperandum, & amandum eſt, cognitionem: altera eſt ſpes, quæ ad oſtenſum à fide ſummum bonum nos mouet: tertia eſt charitas, quæ nos ad ipſum ſummum bonum applicat & adiungit. Et eſt fidei multiplex ſignificatio: Nam (vt nomen ipſum indicat) ſignificat dictorum, factorumq; conſtantiam, ſic dicta, quia fit, quod dicitur: poniturq; pro fidelitate, quæ eſt fidei obſeruatio, ac pro promiſſione: nam dicimus fidem dare, & ſeruare pro promittere, promiſſumq; ſeruare. quandoque etiam ſignificat authoritatem, vt cùm dicimus, Fides eſt, quæ perſuadet, non oratio. B. Iacobus fidei nomine illic vſus eſt pro fiducia, Poſtulet in fide nihil hæſitans: & B. Paulus pro conſcientia ſcribens, Qui autem diſcernit ſi manducauerit, damnatus eſt; quia non ex fide, id eſt quia contra conſcientiam. Omitto quòd apud Rhetores ſignificat interdum probationem, ſeu confirmationem, apud quos fidem facere idem eſt, quod probare, interdum ipſam perſuaſionem, quæ eſt probationis effectus. In ſcripturis ſacris frequentiſſimè ſignificat virtutem, qua noſter intellectus iuſſu voluntatis diuinis enunciatis firmiter aſſentitur. Sed & aliquando ſignificat id, quod creditur, & ipſum credendi actum: nonnunquàm etiam fidei ſacramentum, videlicet baptiſmum; vt cùm interrogatus quiſpiam accedens ad baptiſmum quid petat, reſpondet fidem, ideſt baptiſmum. Fides, vt eſt virtus theologica, ſic à B. Paulo definitur, Subſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparentium. Subſtantia quandoque ſignificat eſſentiam, græcè οὐσίαν, quandoq; ὑπόστασιν, latinè ſubſtantiam: nam ὑφιστᾶν ſubſtare ſignificat. Diciturq; eſſentia hypoſtaſis, ſiue ſubſtantia ratione accidentium, quibus

Cap. 1.

Rom. 14.

Heb. 11.

ſtrata eſt, ſubſtatq;. Fides ſubſtantia dicitur, quia res ſperandas in noſtro animo facit conſiſtere. nam facit, vt firmiter æterna ſperemus. Niſi enim crederemus veri Dei cultoribus eſſe propoſitam æternam vitam, quis illius ſpem vllam animo certam, firmamq́; conciperet? Quidam ſubſtantiam rerum ſperandarum interpretantur inchoationem æternæ vitæ; quòd ſubſtantia ſignificet id, quod in quoq; rerum genere primum eſt, ac reliqua virtute ſua continet. Dicitur etiam fides argumentum non apparentium; non quòd ipſa ſit rerum non viſarum probatio, quas eſſe, & ſperari debere à nobis diuina enunciata confirmant, ſed quod ſit firma ipſis aſſenſio: vt pro effectu cauſa poſita ſit. Gignit enim probatio aſſenſionem. Sic quoq; Rhetores fidem pro perſuaſione vſurpant, quam gignit confirmatio: quam etiam vocant fidem. Eſt igitur fides virtus, qua noſter intellectus res diuinas ad Dei cultum, & ſalutem noſtram pertinentes, ac diuinitus enunciatas ſinè vlla hæſitatione graui aſſertione conſtantiſſimè approbat. Verùm in hac de fide diſputatione diligenter hæc aduertamus, nempe obiectum fidei, ſeu materiam, circa cuius contemplationem verſatur; ſubiectum, ſiue animi potentiam, à qua recipitur; actum, quo ab intellectu, & voluntate proficiſcitur; ac modum, quo intellectus noſter diuinæ plaudit veritati. Verſatur circa res nunquàm à quoquàm hominum viſas; cæteroquin cognitio foret, non fides; ſed quæ tamen ab homine credi, & ſperari debent. Res non viſas intellige dumtaxat eas, quæ ad veram religionem, veriq; Dei cultum faciunt, quo beati efficimur. Quamobrem fidei obiectum eſt Deus, ipſum verum, & ipſum ſummum bonum; quòd à nobis cognoſcendum, & amandum eſt, vt beati ſimus.

Ac li-

Ac licet fides res alias præter Deum ſpectet, vt Chriſti humanitatem, Eccleſiæ ſacramenta, & ea, quæ in ſcripturis ſacris traduntur, tamen hac ratione ſpectat, qua pertinent ad Deum, diuinæq; beatitudinis poſſeſſionem. Iam animæ potentia, quam fides perficit, eſt intellectus, quem græci θεωρικὸν, latinorum quidam inſpectiuum appellant: quandoquidem obiectum fidei eſt ipſum verum, ſeu prima veritas. Sed quoniam hoc ipſum verum, tanquàm ſummum bonum expetendum eſt; voluntas, quæ ad ſummi boni adeptionem cunctas animæ potentias impellit, etiam intellectum ad aſſentiendum his, quæ fidei ſunt, inducit. quæ & ipſa mouetur à Dei gratia; ſinè qua neq; intellectus verum cernere, nec voluntas bonum appetere poteſt. Proinde fides dicitur etiam eſſe in voluntate, prout voluntati bonum appetendum oſtendit. Vnde actus fidei, qui eſt credere, quoniam reſpicit tum ipſum verum, cuius cognitione intellectus perficitur, tum ipſum bonum, cuius poſſeſſione voluntatis deſiderium expletur, & ab intelligentia, vt à propria potentia, & à voluntate, vt ab imperante prouenit. Quamobrem B. Paulus ait Corde credi ad iuſtitiam: quia fides eſt voluntatis, non neceſſitatis. *Rom.* 10. Aſſentitur autem intellectus noſter his, quæ ſunt fidei, non rationibus naturalibus, quas naturale quoddam lumen illuſtrat; quo perſpicua fiunt principia, è quibus pendet humana doctrina, ſed diuina edoctus enunciatione, quam ſupernaturale quoddam, & diuinum, atq; admirabile lumen perſpicuam facit. Non enim fides eſt à nobis, aut in noſtra voluntate, licet credendi potentia ſit in nobis, ſed à Deo. Vincunt enim ea, quæ ſunt fidei, ſenſum, & intelligentiam noſtram; ſicut Eccleſiaſticus ait, Plurima ſupra ſenſum *Cap.* 3.

1.*Cor.*2. hominis oſtenſa ſunt tibi: & B. Paulus, Quæ Dei ſunt, inquit, nemo nouit, niſi Spiritus Dei. Ob idq; multi declinauerunt à fide, quoniam phyſicas rationes ſequi
*Cap.*43. maluerunt. Hoc Eſaias ait, Sapientia tua, & ſcientia
Cap. 10. tua decepit te. & Hieremias, Stultus eſt factus omnis homo à ſcientia ſua. Eſt equidem omnis intellectus
2. *Cor.* 10. B. Pauli ſententia in captiuitatem redigendus in obſequium fidei ex diuinorum myſteriorum enunciatione. Diuinam enunciationem continent ſacræ literæ, quæ duo teſtamenta prius, & poſterius, vetus, inquàm, nouumq; concludunt. Itaq; fidei regulam ſacra ſcriptura tradit: ad quam promulgandam certi à Deo miſſi nuncij ſunt. Quarè ſinè diuinæ doctrinæ prædicatione fidem nemo percipere poteſt. Quomodo enim credent
*Rom.*10. (inquit B. Paulus) ſinè prædicante? Sic vtiq; ſe res habet: primò prædicantur res diuinæ, & ſperandæ: tum mens à Deo mota, & illuſtrata huic prædicationi aſſentitur: poſt aſſenſum illas intelligit. id quod Eſaias af-
*Cap.*7. firmat dicens, Niſi credideritis, non intelligetis. Sunt etenim quædam, quæ niſi intelligantur, non creduntur, vt res naturales: contrà, quædam ſunt, quæ niſi credantur, non intelliguntur, vt res diuinæ, & ſperandæ. Ergo per fidem in Dei notitiam venimus: & eſt fides ſpiritalis vitæ principium. Eſt enim mentis vita cogni-
*Abac.*3. tio. Iuſtus autem ex fide viuit. Iam fides, quæ mentis aſſenſum ſignificat non vlla naturali ratione acquiſitum, ſed diuina voluntate ſuſceptum, inter opinionem, & ſcientiam media eſt. Nam ad ſcientiam, quæ hoc proprio ſignatur nomine, duo requiruntur: vnum eſt, vt res, quæ ſcitur, ſtabilem habeat, immutabilemq; naturam; alterum eſt, vt neceſſariè demonſtretur, hoc eſt vt eius propriæ cauſæ, & rationes percipiantur; alioquin

eſt obſcura eius rei cognitio, cuius obſcuræ ſunt rationes, & cauſæ. Opinio aut mutabilium rerum eſt, aut immutabilium proprias cauſas & rationes ignorat. At fides eſt rerum æternarum, quarum cognitionem non ab ipſarum cauſis & rationibus, ſed à diuina capit authoritate. Quamobrem opinantis eſt imbecilla dubiæ adhuc mentis aſſenſio: ſcientis verò, & credentis firma: ſed ſcientia lumine intellectus perſpicua & euidens eſt, qua parte nobis clarior eſt fide; fides verò, quia diuinæ tantùm nititur authoritati, quæ omni rationi naturali præponderat, eſt ſcientia ſtabilior, atque conſtantior. Quando igitur his, quæ fidei ſunt, non propter humanas rationes, ſed propter diuina enunciata, non humanæ intelligentiæ, ſed diuinæ gratiæ lumine illuſtrati firmiter aſſentimur, præclarè fides à Secundo philoſopho definitur ignotæ rei admiranda certitudo. Sunt enim ea, quæ credimus, ex ſe nobis occulta & obſcura & modus, quo credimus, admirabilis eſt, atque diuinus. Quidam grammatici volunt fidem latinè dici debere perſuaſionem. at oſtendimus & probationem, & probationis effectum ſatis latinè dici fidem: ac licet quæ communiter fides dicitur, latinè perſuaſio dicatur, tamen virtus Theologica ab humana perſuaſione diſtinguenda nomine eſt. Non igitur fides virtus Theologica ſimpliciter dicenda eſt perſuaſio: ſed potius diuina perſuaſio. Fidem ſpes ſequitur. Non enim ſperantur, quæ non creduntur: etſi poteſt aliquid credi, quod non ſperatur. Ac quando ſperamus ea, quæ credimus, certè ſpes non eſt niſi rerum æternarum, quæ ad noſtram attinent beatitudinem. Atque vt fides pro eo, quod creditus; ſic etiam ſpes pro eo, quod ſperatur, interdum ponitur, vt illic Repo-

Iob 19. ſita eſt hæc ſpes in ſinu meo. Spem intellige non animi commotionem, quam græci πάθος, quidam paſſionem vocant, ſed Theologicam virtutem, quæ infuſa à Deo Deum ipſum vti ſummum hominis bonum reſpicit. Spes virtus à Theologis finitur futuræ beatitudinis expectatio ex Dei gratia & meritis proueniens. Bonum enim, quod ſperamus, non eſt præſens, ſed futurum, non enim eſt ſpes niſi futuri, vt memoria eſt præteriti. quarè à noſtro abeſt aſpectu. cæteroquin quod videt
Rom. 8. quis (inquit B. Paulus) quid ſperat? & eſt ſummum ipſum bonum, quod omne continet bonum, & æternum eſt. Atque ex hoc, quod ſummum, & æternum bonum ſpes ſpectat, ſingularem altitudinem animi præfert. Et vt æterna hominis beatitudo quæ, qualiſque ſit à nobis plane intelligi nequeat, tamen ijs rationibus percipitur, quibus ſummi boni natura cognoſcitur; videlicet quòd omne deſiderium noſtrum explet, & amitti nunquàm poteſt. Cuius ſummi boni, ſeu vitæ æternæ ſpes, quia certa eſt, expectatio dicitur. eſt enim expectare certò aliquid ſperare. Facit autem nos de æterna vita certos fides, quæ credentes in Deum ad cæleſtem vitam diuino auxilio peruenturos oſtendit; & fidem ſpes in noſtris mentibus firmat, expectando quæ creduntur. Quæ porro ſpes, quia certa eſt, non confundit, hoc eſt non aſpergit os rubore; quem diffundere deluſa ſpes ſolet. Itaque Propheta ille inquit,
Pſ. 30. In te Domine ſperaui, non confundar in æternum. Et
Pſ. 24. alibi, Deus meus in te confido, non erubeſcam. Nec tamen qui cæleſtem beatitudinem conſequuturum ſe ſperat, ſuis viribus nititur, ſed diuino auxilio, videlicet optimi, & maximi Dei potentiæ, atque clementiæ. Itaque ſpes ad conſequendam beatitudinem, quam

ſpectat,

ſpectat,diuinum auxilium expoſcit. Ac rectè in definitione ſpei additum eſt ex gratia proueniens. Non enim ſpem, vt diuina virtus eſt, à nobis concipimus, ſed à Deo tanquàm maximum beneficium non vlla noſtra ob merita, ſed gratuitò pro diuina eius benignitate accipimus. Quod verò etiam additum eſt ex meritis, non ad infuſionem ſpei, ſed ad eius motum in finem pertinet. Qui enim ſpe ad æternam gloriam agitur, debet recta via, rectiſque greſſibus duci. Recta via,rectique greſſus ſunt ſanctarum, & diuinarum virtutum actiones: quibus pro diuino inſtituto merces æterna debetur. Quarè qui ſinè meritis æternam vitam ſperat, non illam expectat, ſed temerè ſibi, & arroganter vendicat. Recteque Dauid Sacrificate,inquit,ſacrificium iuſtitiæ,& ſperate in Domino. Vides igitur motum ſpei ad æternam beatitudinem ex duobus principijs, diuina, inquàm, gratia, & bonis actionibus prouenire. Qui ſanè motus non eſt ſentientis, ſed intelligentis appetitus,nimirum voluntatis: quia bonum, quod ſperatur, ſub intelligentiam, non ſub ſenſum cadit. Quarè ſpes in voluntate eſt. Parit autem in animo felicitatis expectatio gaudium. Nam qui certam ſpem habet, de futura cæleſtis hæreditatis poſſeſſione, tanquàm de præſente bono lætatur: aſſumitque ſociam malorum tolérantiam, qua cum vincat res aduerſas, quæ conantur de ſpe ipſum deijcere. Hoc nimirum eſt, quod B. Paulus nos monet, vt ſpe gaudentes, in tribulatione patientes ſimus. Idemque B. Paulus ſpem aſſimilat anchoræ: quoniam ſpes animum in cælo firmat, vt anchora nauim in mari fundat. Monens autem ſpes voluntatem ad æternæ beatitudinis expectationem, animum ad amandum Deum authorem beatitudinis noſtræ compo-

Pſ.4.

Rom.12.

Hebr.6.

componit, qua ratione ſpes dicitur eſſe cauſa charitatis: quæ eſt dilectio, qua Deum, vt ſummum hominis bonum, diligimus. Eſt porrò dilectio, quemadmodum & amor, rerum tam bonarum, quàm malarum; charitas verò non niſi bonarum, præſertimque Dei, qui cun-
Domi. 5. poſt Pét. cta bona continens ſolus nos beatos efficit. Et Deum quidem tum inſtinctu quodam naturæ, quo res quæq; etiam inanima ſuam perfectionem appetit, quæ à Deo prima, & ſumma omnium cauſa pendet; quem appetitum Theologorum quidam vocant amorem concupiſcentiæ: tum ſingulari quodam affectu diligimus non ingenito à natura, ſed diuinitus infuſo; quem amorem beneuolentiæ nuncupant, quæ propriè charitas nominatur. Eſt enim charitas qualitas quædam à Deo creata, & animæ infuſa, ſic voluntatem afficiens, vt authorem ſuæ naturæ, & felicitatis ſuprà res omnes ſingula-
1. Io. 4. riter amet. Nec inficior Deum charitatem eſſe; ſed iſthæc charitas creata non eſt. Et non creata charitas quandoque nomen eſt diuinæ eſſentiæ tribus commune perſonis, ex quo Pater, Filius, & Spiritus ſanctus quiſque charitas dicitur; quandoque nomen eſt Spiritus ſancti proprium, quippe cui amor tribuitur; perinde vt ſapientiæ nomen nunc diuinam eſſentiam, nunc Filij perſonam notat: verùm charitas, quæ noſtris cordibus infunditur ad diligendum ſingulari quodam affectu Deum, creata qualitas eſt; diciturque per Spiri-
Rom. 5. tum ſanctum diffundi, quoniam Spiritui ſancto (vt diximus attribuitur. Nec certè nos amore beneuolentiæ Deum amaremus, ni nos ipſe prior non communi, ſed ſingulari dilectione diligeret, ac nobis æternam felicitatem cupiens, charitatem infunderet, qua ipſum amplecteremur, eiuſq; amicitia quàm maximè frueremur.

mur. Supereminet enim ſcientiæ (vt B. Paulus ait) charitas:nec amatur, niſi quod ſcitur. Quarè ſi cognoſcere Deum à nobis, vt oportet, non poſſumus, nec amare quidem, vt par eſt, poſſumus. Actiones quoq; noſtræ bonæ, quas dumtaxat ratio naturalis inſtruit, licet noſtrum animum ad recipiendam charitatem comparent, non tamen ipſam ingenerant: quæ cum gratia gratum faciente coniuncta eſt, ita vt nunquàm ab ea ſeparetur. Amantes quoq; nos Deum ipſe redamat. ſic enim inquit, Ego diligentes me diligo. redamanſque in nobis ſingulariter habitat, & beatitudinem ſuam impertit; quos cognoſcit cognitione, vt Theologi loquuntur, approbationis. Hac itaque ratione felices efficimur. Proinde charitas eſt mutua quædam inter Deum & hominem beneuolentia: &, vt B. Ioannes ait, Qui manet in charitate, in Deo, qui charitas eſt, manet, & Deus in eo. Cohortaturq; nos Deus ad charitatis erga nos ſuæ imitationem, dum nos monet, vt diligamus inuicem, ſicut ipſe dilexit nos, ſcilicet æternæ beatitudinis ergo: quæ eſt ipſemet Deus; ad quem referenda ſunt omnia. Deum itaque propter Deum, & proximum in Deo, ac propter Deum diligere debemus. Igitur charitatem, quæ mutua quædam beneuolentia eſt, tanquàm ſocietatem quandam, continet æternæ beatitudinis communicatio: in quam qui veniunt, proximi vocantur, diligendi à nobis ſicut nos ipſi. Iſti ſunt tum homines, tum angeli. nam vtriq; eandem participant felicitatem. quanquàm homo homini eſt etiam naturæ conditione cæterorum animantium proximus. Nec cuiquàm ſe ipſo quiſquàm propior eſt. Quiſque igitur ſe ipſum diligere debet; veruntamen propter Deum; ni iniquus ſibi eſſe velit, ac ſe ipſum

Ephes. 3.

Prou. 8.

1. Io. 4.

odiſſe, quòd non ſibi benè cupiat. Benè enim eſt cuiq; à Deo. Quamobrem duos diligere diuina lege iubemur, videlicet Deum, & proximum: ſed quoniam vniuerſæ legis vnus eſt finis, ſcilicet charitas, ideò lex omnis (vt B. Paulus ait) vno ſermone, hoc eſt vno præcepto impletur. Et quoniam in dilectione Dei dilectio proximi, & in dilectione proximi dilectio Dei continetur, idcirco cùm iubemur diligere Deum, iubemur etiam diligere proximum, & cùm iubemur diligere proximum, iubemur etiam diligere Deum. Ac ſcitè B. Paulus ait, Qui diligit proximum, legem impleuit. Ex his, quæ dicta ſunt, vides charitatis (vt philoſophi loquuntur) obiectum quidem eſſe ſummum bonum, quod fide cognoſcimus, & ſpe expectamus; ſubiectum verò eſſe voluntatem, quia ſummum bonum, quod diligitur, non ſenſu, ſed ratione percipitur: & voluntatem non ratione naturali, ſed diuina ſapientia regi. Deinceps virtutes ipſas Theologicas inter ſe conferemus, vt, quæ inter ipſas præſtet, conſpiciamus. Omnes quidem à Deo nobis infunduntur, & Deum nobis, vtpote hominis ſummum bonum, proponunt: quæ autem nos ad diuinam beneuolentiam magis applicat, ea cæteris antecellit. Fides, quæ prima nobis cæleſtem beatitudinem oſtendit, ac ſimul diuinum ad illam conſequendam auxilium indicat, tanquàm aditus quidam eſt ad alias virtutes. Neque enim ſperari poteſt, quod ignoratur, neq; amari, quod non ſperatur. Nec tamen fides ſpem, & ſpes charitatem, vt cauſa effectum antecedit, ſed prout animus ex vnius virtutis vſu in alterius componitur actionem. Nam fide ad ſperandum, & ſpe ad amandum inſtruitur. Quarè ſinè fide, & ſpe charitas eſſe non poteſt; ſinè charitate verò ſpes, & fides

1.Tim.1. Gal.5. Rom.8.

des eſſe poſſunt: quanquàm ſine charitate imperfectæ ſunt; quippe cuius forma perficiuntur. Itaq; progreſſionis ordine charitas eſt aliarum virtutum poſtrema, perfectionis verò ordine prima. Fides hoc differt à ſpe, quòd ſpes non eſt niſi rerum bonarum, futurarum, & ſuarum, fides verò bonarum, & malarum, præteritarum, præſentium, futurarum, ſuarum, & alienarum. Et ſpes ratione perſonæ, à qua expectatur bonum, præcedit amorem; ratione verò boni, quod expectatur, ſpem amor præcedit. Fidei, & ſpei præſtat charitas; primùm quia Deus eſt omnium finis. adhærere fini optimum eſt. atqui nos cum Deo charitas magis, quàm fides, aut ſpes conciliat: ſiquidem affectu amoris cum Deo mentem hominis coniungit, ita vt Deus in homine, & homo in Deo ſit. Hæc enim eſt vis amoris, vt is, qui amat, in eo, quem amat, & is, qui amatur, in eo, à quo amatur, ſpiritali quadam neceſſitudine ſit. Verùm fides, quæ eſt rerum non viſarum, & ſpes, quæ eſt rerum poſſidendarum, diſtant à fine: dicuntur tamen finem attingere, quatenus fides eſt principium cognoſcendæ primæ veritatis, ſpes verò eſt principium odorandæ perfectæ beatitudinis. Quapropter B. Paulus charitatem, quæ nos ad Deum perducit, excellentiorem alijs virtutibus viam eſſe prædicat. Deinde quia ſola charitas poſt hanc vitam manet. Nulla enim poſthac fides erit, cùm videbitur, quod nunc creditur; & abibit ſpes omnis, cùm habebitur, quod nunc ſperatur: at charitas perficietur in patria per gloriam, quæ inchoata eſt in via per gratiam. Ob idq; etiam charitas, quia gratiam, & gloriam hic fide, & ſpe tenemus, ſinè fide, & ſpe non eſt in terris, ſinè quibus erit in cælis. Deinde quia ſinè charitate fides, & ſpes nihil proſunt; quia nullam ex ſe vim

1. *Cor.* 12.

habent promerendæ felicitatis æternæ, ſi non charitate formentur: quæ vel ipſa gratia gratum faciens eſt, vel ipſam gratiam indiſſolubili vinculo ſecum connexam, & conſtrictam habet. Quarè charitas eſt forma, & perfectio virtutum omnium, atq; omnis bonæ voluntatis, & actionis principium, & finis. Ac quoniam virtutes omnes fouet, atq; ſuſtentat, mater, radix, & fundamentum omnium virtutum appellatur. Dicitur quoq; vin-

Coloſ. 3. culum perfectionis, tum quia virtutes omnes inter ſe connectit, tum quia hominem cum Deo coniungit. Proinde nulla ibi eſt virtus, vbi non eſt charitas. Inſuper fidei, & ſpei certa quædam peccata repugnant: charitati verò peccatum omne reſiſtit; quia nos à Deo, quo cum charitas conſociat, omne peccatum auertit. Et, ſi eorum, quæ ſupra nos ſunt, vt B. Thomas Aquinas aſſerit, melior eſt amor, quàm cognitio, certè, qui ſupra nos eſt, Dei amor eius cognitione potior eſt; & felicitas in voluntate magis, quàm in intellectu ponenda, cùm intellectum cognitio, charitas voluntatem perficiat. Sed de virtutibus Theologicis ſatis multa diximus, quarum à Deo poſcimus incrementa. *Da augmentum, ſiue incrementum fidei, ſpei, & charitatis nobis*] ideſt, auge in nobis fidem, ſpem, & charitatem. Fides accreſcit tum (vt philoſophi loquuntur) intenſiuè, cùm animus his, quæ ſunt fidei, vehementiùs, ac firmiùs aſſentitur; tum extenſiuè, cùm articuli fidei magis explicatè, & enodatè

2. Theſſ. 1. percipiuntur. His enim modis ſupercreſcit fides noſtra. & cum eadem fuerit veteris, ac noui teſtamenti fides, tamen ipſam veteres patres magis inuolutam, nos magis explicatam habemus. Spes augetur cognitione. quò magis enim aliquid cognoſcitur, eò magis ſperatur. Augetur etiam ex amore eius, à quo bonum ſperatur.

ratur. Nam quò magis Deum amamus, eò magis in ipſo ſperamus. Charitas, quæ habetur in via, cùm ex fide ſit, ſemper poteſt augeri, quia ſemper ad finem proceditur; & quò magis ad Deum acceditur, eò magis augetur. Non enim in via charitati finis vllus præſcribitur; alioquin viæ ratio tolleretur, qua ad patriam tenditur; ſed in patria conſtitutus eſt terminus, vbi dilectionis mandatum impletur, quod in via ex parte, hoc eſt imperfectè pro viæ ratione præſtatur. Proinde B. Paulus Philippenſibus optat, vt eorum charitas magis ac magis abundet. Quibus etiam de ſe ipſe ait, Ego me non arbitror comprehendiſſe. Creſcit autem charitas bonis operibus, quæ comparant voluntatem ad concipiendum maiorem charitatis ardorem. Deus verò charitatem auget, ipſam intendens. quod facit, cum voluntatem Spiritui ſancto ſimiliorem reddit: Nec charitas, quæ in Deo eſt, cuius eſt infinita virtus, poteſt eſſe in homine, cuius definita vis eſt, atq; natura: ſed tunc perfecta in homine eſt, cùm Deum, quantum naturæ ſuæ conditio, & vires ferunt, diligit. Sic pro naturæ noſtræ capacitate charitas modum habet, non autem pro ratione eius, quod diligitur; quod ſummum & infinitum bonum eſt. Potens eſt autem Deus in nobis fidem, ſpem, & charitatem augere, qui potens eſt (vt B. Paulus loquitur) omnem gratiam abundare facere in nobis. *nobis*] tuis famulis, tuiſque fidelibus. Namque in infidelibus nulla Theologicarum virtus eſt. *&, ut mereamur aſſequi quod promittis*] conſequi æternam vitam, quam ſeruantibus tua mandata promittis. Mereri autem æternam gloriam ſinè charitate non poſſumus. *fac nos amare quod præcipis*] inſere in nobis tuorum mandatorum amorem. Sunt

Cap. 1. *Cap. 3.* *2. Cor. 9.*

quidem

quidem plura Dei mandata; quia iubent plura diligi, Deum, inquàm, & proximum: & eſt vnum mandatum; quia vnam continent dilectionem. Quia igitur omnia diuina mandata vno charitatis præcepto, vnoue ſermone concluduntur, ideò vnum mandatum conficiunt. Nec poſſunt diuina mandata, quæ charitatem ſpectant, ſinè charitate ſeruari; nec ſinè diuinorum mandatorum cuſtodia æterna felicitas haberi.

DOMINICA XIIII. *poſt Pentecoſtem.*

ORATIO.

Cuſtodi, quæſumus, Domine Eccleſiam tuam propitiatione perpetua; & , quia ſinè te labitur humana mortalitas, tuis ſemper auxilijs & abſtrahatur à noxijs, & ad ſalutaria dirigatur.

Deum oramus, vt Eccleſiam ſuam incolumem continua benignitate conſeruet; ipſamque diuinis auxilijs, quando pro humanæ naturæ fragilitate conſiſtere non poteſt, ſemper à nocentibus rebus eripiat, & ad ſalubres inſtituat.

Eccleſia nomen græcum eſt, latinè conuentus: licetq; omnis

omnis hominum conuentus dicatur Eccleſia, tamen fidelium Chriſti conuentus ob charitatis, ſanctitatiſq; præſtantiam commune nomen fecit proprium. Itaq; propriè vocatur Eccleſia. Iudæorum congregatio, quia legis metu regitur, συναγωγὴ nuncupatur à συναγωγῆν, hoc eſt cogere. Non enim à ſe conueniunt, ſed in vnum vi compelluntur, vt pecora; quæ rationis expertia non ſe ipſa agunt, ſed aguntur ab alijs. At Chriſtianorum ſocietas, quam lex amoris charitaſque coniungit, quia ſpontè, non coacti, neque ad deliberandum de vectigalibus imponendis, gerendoue bello; ſed ad colendam veram religionem, & diuina officia exequenda conueniunt, Eccleſiæ nomen, vt proprium, obtinuit. Cæterùm locus, in quo Chriſtiani ad ſacrificia, ad orationes, ad librorum ſcripturæ ſacræ lectiones, & interpretationes conueniunt, templum, ſiue ædes ſacra propriè nuncupatur: etſi à multis Eccleſiæ nomen interdum pro æde ſacra vſurpatur. Vt autem vnus eſt toto terrarum orbe fidelium populus, ſic vna eſt Eccleſia, quam Dauid magnam appellat: ſunt *Pſ. 21.* tamen & plures Eccleſiæ peculiares, ſicut plures Chri- *& 34.* ſtiani populi non fide & religione, ſed locorum internallis regionibuſque diſtincti. Nec ſolùm ſingulæ prouinciæ, & ciuitates, verùm etiam ſingulæ familiæ Chriſtianorum Eccleſiæ nominantur. Vna tamen eſt tandem omnium Chriſtianorum Eccleſia, quia vna, & eadem fide, ac charitate omnes inter ſe Chriſtiani continentur. Ideoque catholica græcè, latinè vniuerſalis vocatur. Adhoc duplicem Eccleſiam faciunt; alteram in terris, quam militantem vocant, quia in continuo bello contra carnem, mundum, & diabolum eſt; alteram triumphantem in cælis, quæ de carne, mundo,

mundo, & diabolo triumphat. Et triumphans Eccleſia, quæ ex beatis tam hominibus, quàm angelis conſtat, ingens eſt; militans verò, quæ tantùm eſt ſub Chriſti vexillo militantium hominum, vel ob paruitatem reſpectu infidelium, quorum maximus eſt numerus, vel ob humilitatem, quam præ ſe fert Chriſtiana religio, puſillus grex à Chriſto nominatur. Fidelium primum memorant fuiſſe Abel virum iuſtum, in quem, & cuius munera Deus reſpexit, non autem Adam patrem, qui ſuo ſcelere totum humanum genus infecit. Decebat enim Eccleſiæ principium ab homine iuſto, non autem ab iniuſto duci. quanquàm aliqui tradunt Ieſu Chriſti tempore ortam Eccleſiam, & Spiritus ſancti confirmatam aduentu. Porrò Ieſu Chriſti fide omnes ſalui facti ſunt. non eſt enim aliud nomen ſub cælo datum, in quo oporteat nos ſaluos fieri. verùm qui ante Chriſtum fuerunt, eius venturi fidem habuerunt; alij in eum præſentem crediderunt; tamen illorum fides obſcura, & inuoluta, horum clara, & explicita fuit. quorum primi fuerunt Apoſtoli, & qui cum Apoſtolis Spiritus ſancti illuſtratione clarè Chriſti fidem edocti ſunt. Nec ineptè Eccleſia Ciuitas Dei nominatur. Nam quid aliud eſt Ciuitas, quàm cœtus hominum eodem iure vtentium? At Chriſtianorum eadem viuendi lex, ijdemque ſunt mores, atque religio. Quam Dei Ciuitatem B. Ioannes in Apocalypſi, dum cæleſtis vrbis mœnia, portas, plateaſq; depingit, rerum corporearum figuris incorporearum vires proprietateſque deſignans, pulcherrimè deſcribit. Aptè etiam Eccleſia familia Dei vocatur; quippe quam Deus, tanquàm vnam quandam cognationem & gentem ſuam ſingularibus beneficijs, auxilijſque tuetur.

Luc. 12. *Gen.* 1. *Act.* 4. *Cap.* 21.

Sed,

Sed, quid familia, quæ etiam Dei familia ſit, ſuprà expſicuimus. Prætereà vocatur Eccleſia ſimilitudine quadam domus Dei, quia Deus in medio ſuorum fidelium eſt, in eorumq́; cordibus ſingulari quadã gratia, & dilectione inhabitat. Sic B. Paulus Domus Dei inquit, Eccleſia Dei eſt. Idcq́; ait, Domus Dei ſumus nos. Domus Dei propriè templũ dicitur, quod ſanctũ eſt. Habitat autem Deus in templis non manu factis, ſed in pijs, & ſanctis animis. Itaque B. Paulus inquit, Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Huius domus, ſiue huius ædificij ſpiritalis primum fundamentum eſt Chriſtus, vt B. Paulus teſtatur, Fundamentum, inquiens, aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. In quo (vt idem B. Paulus ait) omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum Dei. ſiquidem domus Dei proprio nomine templum appellatur. Aedificatio, quæ primo fundamento proxima eſt, vocatur etiam fundamentum. Iacta ſunt autem ſupra Chriſti fundamentum duodecim Apoſtolorum fundamenta: quæ in B. Ioannis Apocalypſi in cæleſtis vrbis deſignatione notantur. Et quoniam cæleſtis vrbs, cæleſtiſq́; domus animata eſt, pulchrè corpori aſſimilatur, quod ex multis membris conſtat, quæ ab vno capite vitam, ſenſum, motumque recipiunt. Proinde B. Paulus inquit, Multi vnum corpus ſumus; & iterum, Vnum corpus, & vnus ſpiritus; &, Vnus panis, & vnum corpus ſumus, diſtincti quidem multis, varijſque muneribus, ſed tamen ab eodem capite virtutem omnes communicantes. Et eſt Chriſtus caput vtriuſque Eccleſiæ militantis, & triumphantis: quod B. Paulus teſtatur ad Epheſios ſcribens, Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam; quæ eſt corpus ipſius.

Domi. 3. poſt Epiphan. *1. Tim. 3.* *Hebr. 3.* *Act. 19* *1. Cor. 6.* *1. Cor. 3.* *Eph. 2.* *Cap. 21.* *Rom. 12.* *Epheſ. 4.* *1. Cor. 10.* *Cap. 1.*

Et quidem caput eſt in animalis corpore pars principalis, quæ omnibus excellit, & è qua ſenſus, & virtus in cætera membra dimanat: vnde pro fonte, & origine, ac pro eo, quod in quaq; re ſummum, & optimum eſt, ponitur. Quamobrem Chriſtus, qui omnibus viatoribus, & comprehenſoribus, quibuſcum Angeli cenſentur, nobilitate, & dignitate excellit, & de eius plenitudine
Io.1. (eſt enim plenus gratiæ & veritatis) omnes accipiunt, iure eſt vtriuſq; Eccleſiæ caput. Neq; enim tantùm hominibus, ſed etiam angelis non ſolùm quà Deus, verùm etiam quà homo eſt, longè quàm omnibus antecellit. nam eſt creatura omnium præſtantiſſima, & perfectiſſima, Deo proxima, cunctis ornata, & cumulata cæleſtibus ornamentis, atq; diuitijs. Licetq; ſit Chri-
Pſ.8. ſtus humanæ naturæ conditione paulò minor angelo, tamen ratione diuinæ perſonæ, in qua cum diuina natura coniunctam habet humanam, & ratione cæleſtium donorum, atq; chariſmatum, quibus vndiq; affluit, eſt multis partibus ipſo angelo ſuperior. Hinc nimirum eſt,
Cap.4. quod Angeli (vt Euangeliſta Matthæus refert) Chri-
Coloſ. 2. ſto miniſtrant: quippe qui eſt (vt B. Paulus ſcribit) caput omnis cæleſtis principatus, & poteſtatis; ac per quem Deus non ſolùm hominibus, ſed etiam ipſis angelis ſua dona, & chariſmata diſtribuit. Et diuinorum quidem donorum dator eſt Deus, qui dominus eſt. Atqui Chriſtus etiam Deus eſt. Igitur Chriſtus, quà Deus eſt, ipſe etiam illa alijs donat, & cum Patre & Spiritu ſancto vniuerſam Eccleſiam regit: quà verò eſt homo, illa ipſe accipit à Deo, ac ſuis meritis ipſe etiam alijs promeretur. Hac ratione meritorum è Chriſto Eccleſiæ capite diuinæ gratiæ in cætera membra diffunduntur; & in Chriſtum à Deo, quem B. Paulus
1.Cor.11.

Chriſti

Chriſti caput appellat. Ac quamuis tota Trinitas ob ſummam authoritatem, & virtutem ſit caput vniuerſæ Eccleſiæ, cui vitam tribuit, quam ſanctitate ornat, cuius præcipuam curam gerit, tamen naturæ quadam cognatione, ſolus Filius factus homo ſingulare caput Eccleſiæ eſt. Habet enim, perinde vt homines, corpus, & animam; & anima ſimilis eſt diuinis mentibus, quas nominamus angelos. Faciunt autem angeli, & homines beati in cœlis vnum quaſi corpus: quia vnam ſocietatem ſeruant; quam continet cæleſtis beatitudinis communio. Hæc beatorum in cælis Eccleſia tanquàm regina à dextris Dei aſsiſtit, in veſtitu deaurato circumdata varietate. Electorum quoq;, ſanctorumue hominum in terris Eccleſia Chriſti ſponſa vocatur, tota pulchra, & formoſa, quam ſponſus proprio ſanguine redemit, ac lauit à peccatis eius: ipſaque Lunæ, vt ſponſus eius inſtar eſt Solis: poſt cuius in cælum aſcenſum à Spiritu ſancto rectè compoſita, & ordinata eſt: &, vt ait ille Propheta, Sol, & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo. *Abac.3.* Eccleſia verò, quæ ſimul ex bonis, maliſq; conſiſtit, ſagenæ miſſæ in mare aſſimilatur omnium generum piſces bonos, & malos capienti: ſed tandem à bonis mali ſeparabuntur, & foras eijcientur. *Matt.13.* Ab Eccleſia qui ſeparatur, dicitur excommunicari, quia Chriſti virtutum, donorum, & gratiarum communione priuatur. Et eſt excommunicatio altera interior, quæ à ſolo Deo eſt; altera exterior, quæ à Pontifice Maximo, vel ab habentibus ab eo poteſtatem fit. Nec inſcitè figuram Eccleſiæ geſſiſſe dicitur arca Noë, extra quam qui inuentus eſt in terrarum eluuione, ſubmerſus interijt. Nam qui extra Dei Eccleſiam eſt, vita priuatur æterna. Longum eſſet aut nauis partes, aut corporis membra cum diuer-

ſis Eccleſiæ conferre, & aſſimilare hominibus, atq; muneribus. Proinde verba orationis interpretemur. *Cuſtodi*] ſerua, ac tuere, *Eccleſiam tuam*] militantem, & tanquàm nauim in huius mundi pelago fluctuantem *propitiatione tua perpetua*] tuo continuato auxilio, atq; præſentia. Propitiatio à propitius: propitius verò idem eſt, quod præſens. Præſentia Dei eſt ipſum diuinum auxilium. *& quia mortalitas humana*] humanæ vitæ mortalis conditio, ſeu fragilis ac diſſolubilis hominum natura, hoc eſt ex ſe imbecilli, & infirmi homines. *labitur*] dilabitur, nec conſiſtit *ſinè te*] ſinè tua præſentia, & auxilio:
Dom.15. &, quod infrà dicetur, *ſinè te non poteſt ſalua conſiſtere*. Etenim omnia, quæ ex nihilo ſunt, in nihilum ex ſe abeunt. *& ſemper abſtrahatur à noxijs*] tum dies, noctesq; abripiatur à rebus malis atq; nocentibus, quibus circumfunditur. *auxilijs tuis*] tuis adiumentis: quæ contra diuerſa mala multiplicia ſunt. *& dirigatur ad ſalutaria*] tum ſemper ordinetur, inſtituatur, informetur ad res vtiles, atq; ſalubres. Regentis alios duo eſſe munera, tum mala ab his, quos regit, repellere, tum vtilia ipſis
Domi. 7. prouidere, alibi diximus. His ipſis muneribus vt Eccle-
poſt Pē. ſiam ſuam regat, Deum oramus.

DOMINICA XV.
poſt Pentecoſtem.

ORATIO.

Eccleſiam tuam Domine miſeratio continuata mundet, & muniat; &, quia ſinè te

non

non poteſt ſalua conſiſtere; tuo ſemper munere gubernetur.

Deum rogamus, vt Eccleſiam ſuam cœleſti pietate ſemper emundet, atque confirmet, ac ſua prouidentia perpetuò regat; quia ſinè ipſo ſtare incolumis neutiquàm poteſt.

Hac etiam oratione Deum obſecramus, vt Eccleſiam ſuam è peccatorum ſordibus emundet, ac contra res aduerſas obuallet, ſuaq; prouidentia perpetuò regat. *miſeratio continuata*] tua perennis, iugis, perpetua, neque intermiſſa pietas, hoc eſt tua pietas perpetuò *mundet*] mundam faciat, ac puram ſordium peccatorum, *& muniat*] firmet, confirmet, circumuallet contra res omnes aduerſas, atque contrarias *Eccleſiam tuam*] militantem, de qua ſatis ſuprà dictum eſt. Poſita eſt miſeratio diuina pro Deo miſerante. Mundat Deus Eccleſiam ſuam aqua cœleſtis gratiæ, & munit diuinis auxilijs: *& quia non poteſt conſiſtere ſalua ſine te*] &, quod ſuperiore oratione dictum eſt, quia pro fragilis humanæ naturæ conditione ſinè te, tuoq; auxilio labitur. Salua idem eſt, quod integra, & incolumis *ſemper gubernetur munere tuo*] omni tempore tua gratia, vel tua prouidentia gubernetur, atq; regatur. Munus quandoq; donum, quandoq; officium ſignificat. Omne Dei donum gratia nominatur: & Eccleſiæ gubernatio proprium Dei munus & officium eſt: qui cùm omnibus rebus, tum hominum, ac ſuorum fidelium ſaluti præcipuè proſpicit. Quarè munus vel donum, vel officium licet interpretari.

Domi. 2. post Epiphan. & Domi. 7. post Pét.

De diuina prouidentia, quæ proprium Dei munus eſt, aliàs diximus. De gratia licet aliàs dictum ſit, tamen in ſequente oratione copioſiùs dicetur.

DOMINICA DECIMASEXTA poſt Pentecoſtem.

ORATIO.

Tua nos, quæſumus, Domine gratia ſemper præueniat, et ſequatur, ac bonis operibus iugiter præſtet eſſe intentos.

Præuenientem nos, & ſubſequentem; ac bonis addicentem operibus gratiam poſtulamus.

Gratia quandoque ſignificat beneuolentiam. ſic dicimus aliquem eſſe apud omnes in gratia, pro amari, & redire in gratiam pro in beneuolentiam. quandoque ſignificat beneficium. itaque dicimus referre gratiam. quandoque ſignificat memoriam beneficij cum voluntate remunerandi. Hinc dicitur gratus, qui accepti beneficij meminit, remuneratque, ſi poteſt: cui opponitur ingratus. Hoc loco de gratia loquimur, vt eſt donum à Deo nobis gratuitò, non pro vllo noſtro merito, alioquin merces eſſet, non donum, ſed pro ſua mera beneficentia collatum, nec ſecundum naturæ noſtræ principia, ſed ſupra humanæ naturæ conditio-

nem:

nem: quo donati æternam gloriam promeremur. Licet enim quicquid boni in nobis eſt donum Dei ſit, tamen donum, quo ad placendum Deo diuinitus exornamur, quia eſt omnium donorum, quæ homini à Deo conferuntur, maximum, gratiæ nomen inprimis obtinuit. Diciturque à Theologis modò res ſacra, quia hominem Deo ſacrat, modò gratia gratum, hoc eſt acceptum Deo faciens, quia, quem ornat, Deo charum & acceptum reddit. Gratus enim non ſolùm qui beneficij memoriam retinet, verùm etiam qui alicui acceptus eſt, dicitur. Etenim Deus, vtpote rerum omnium author, & gubernator, rem quanque mouet ad ſuum finem, ſuæ, inquàm, naturæ perfectionem: ad quam aſſequendam cuique certas vires, & virium inſtrumenta largitus eſt. Et rationis quidem expertibus, quæ ab alijs potius aguntur, quàm ſe ipſa agunt, naturales virtutes indidit ad ſuam naturalem perfectionem accommodatas: rationis verò capacibus, nempe hominibus, quos ornare cæleſti gloria voluit, præter naturales virtutes, quòd eæ minùs ad adipiſcendam cæleſtem gloriam ſufficiant, diuinam quandam infundit qualitatem, qua in cælum erigantur, & ad attingendam æternam beatitudinem adiuuentur. Eſt igitur gratia, qua de loquimur, diuina quædam qualitas non à natura ingenita, ſed à Deo animæ infuſa, qua ſupra naturalem facultatem ad participandam diuinam naturam, & beatitudinem attollitur. Non enim intrinſecùs ab animæ eſſentia, naturæue principijs, ſed extrinſecus ab ipſo Deo, Deique bonitate eſt. Itaque rectè B. Petrus Apoſtolus ait magna nobis, & pretioſa donata eſſe, ut conſortes diuinæ naturæ ſimus. 2.Pet.1.
Quòd autem gratia nobis à ſolo Deo donetur, pro-

pheta

Pſ. 83. pheta teſtatur dicens, Gratiam, & gloriam dabit Dominus. Eius etenim eſt dare gratiam, cuius eſt dare gloriam, Atque gloriam non dat, niſi Deus. Verùm etſi tota Trinitas gratiam donat, tamen eius donatio, Spiritui ſancto præcipuè tribuitur, qui eſt amor Dei. ſiquidem ex amore, quo nobis optimè cupit, dat nobis Deus gratiam. Quæ quidem ſi ante peccatum homini ad obtinendam cæleſtem gloriam opus erat, quid poſt vitiatam humanam naturam nonne multò magis neceſſaria erit? Perficit autem animam gratia, vt forma materiam. Ideò eſt vita animæ; recipientesq; hanc gratiam, regenerari dicuntur; quia rurſum formantur in aliam vitam, eamque diuinam. Scio præter hanc gratiam, quam gratum facientem vocant, poni alteram gratiam, quam ijdem Theologi vocant gratis datam, vincentem etiam ipſam omnes humanæ naturæ

1. Cor. 12 ræ vires: cuius gratiæ dona in Epiſtola ad Corinthios recenſentur, videlicet ſermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, fides, gratia ſanitatum, operatio virtutum, prophetia, diſcretio ſpirituum, genera linguarum, interpretatio ſermonum; ſed hæc gratia pro aliorum vtilitate, & ſalute cuipiam à Deo confertur. At gratia gratum faciens ipſa eſt, quæ nos Deo ſimiles facit. Atq; ad hanc gratiam recipiendam homo debet ſuam animam præparare. Non enim forma, vt phyſici docent, niſi in materiam præparatam inducitur. Nec tamen ex ſe potis eſt homo præparare animam ſuam, niſi prius à Deo ad ipſam præparandam moueatur; ſicut

Io. 6. Chriſtus ait, Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum. Itaque mouet Deus, vt is, à quo eſt omnis motio: homo verò ſe ipſum mouet ad gratiam, vt motus à Deo. Quæ motio, quoniam eſt à

creato ad increatum bonum, dicitur conuerſio ſecundum illud, Conuerte me Domine, & conuertar. Quòd ſi minùs ſe ipſum mouerit homo, culpa in ipſo eſt, quia diuinæ motioni reſiſtit. Rectè igitur per Oſeam Deus dicit, Perditio tua Iſrael tantùm ex te, ex me auxilium tuum. Præparato animo gratia infunditur; quæ peccata delet, ac virtutibus animum ornat. Vt quis igitur in Dei gratiam redeat, primò requiritur Dei virtus cor hominis ad ſe mouentis, tum motus hominis ad Deum, poſtremò iuſtificantis gratiæ infuſio: quanquàm interdum contingit hominem ſimul moueri à Deo, & à ſe præparari, ac vitalem gratiam, ſeu inſtificantem, & habitualem accipere; vt in conuerſione B. Pauli euenit, qui eodem momento, quo à Deo motus eſt, & cor ſuúm præparauit, & habitualem gratiam accepit. Sed hæc conuerſio dicitur miraculoſa, quia præter aliorum hominum conuerſionum morem facta eſt. Iam habitualis gratia, ſicut & diuina motio, duplex eſt, altera vocatur à Theologis operans, altera cooperans. Operans eſt, quæ voluntatem ita afficit, vt verè velit bonum; cooperans verò eſt, quæ motum voluntatis ad bonum adiuuat, atq; confirmat. Illa dicta eſt operans, quia ſine voluntate agit; hæc cooperans, quia cum voluntate agit, motum eius ad propoſitum bonum regens. Atq; hæc ſanè eſt principium, & forma eius operis, cui merces debetur æterna; quia ſimul à gratia, & voluntate prouenit. Operantem gratiam vocauit Dauid miſericordiam præuenientem, cùm dixit, Miſericordia eius præueniet me; cooperantem verò gratiam vocauit miſericordiam ſubſequentem, cùm dixit, Et miſericordia tua ſubſequetur me. Gratiam appellauit miſericordiam, quoniam opus miſericordiæ eſt. Non enim noſtris neceſſi-

Hier.31.
Cap.13.
Pſ.58.
Pſ.22.

tatibus, quarum maxima eſt peccatum, ſubueniret, ni noſtri miſereretur. Eſt autem cooperans gratia dicta comitans, ſequens, vel ſubſequens, non quia ſequatur voluntatem. non enim gratia voluntatem, ſed voluntas gratiam ducem, & adiutricem ſequitur. ſed ratione operantis, quæ antecedit: quæ & præueniens ratione ſequentis vocata eſt. Diceret forte quis illam priorem, hanc poſteriorem. Quæ diuiſio non diuerſarum gratiarum differentes eſſentias, ſed diuerſos eiuſdem gratiæ demonſtrat effectus. Vtrumq; gratiæ effectum à Deo poſtulamus. *Gratia tua*] Gratia hoc loco vel pro gratuita diuina motione incitante voluntatem ad volendum bonum, & adiuuante, ne fruſtrà velit, ponitur; vel pro gratuito diuino illo dono, quod diximus habituale vocari. Quòd ſi pro habituali dono ponitur, operantem, & cooperantem intellige duos ipſius effectus excitantis voluntatem ad bonum, & adiuuantis: quorum alter dicitur prior ratione poſterioris. *præueniat nos*] nos ad bonum excitet, ad quod nunquam ipſi à nobis excitaremur, *& ſequatur*] adiuuet voluntatis noſtræ motum ad bonum, ad quod ipſam mouit. Quæ diuina motio, vel quis habitualis gratiæ effectus præueniens, aut ſubſequens dicatur, iam expoſitum eſt. *ac præſtet*] efficiat nos *eſſe iugiter intentos operibus bonis*] eſſe continenter, ſiue ſinè intermiſſione, vel perpetuò attentos bonis actionibus, hoc eſt continuò, ac diligenter bona opera facere. Gratia eſt forma bonorum operum, atq; principium: per quæ nos ducit ad propoſitum finem, vitam, inquam, æternam. Ergò vt æternam vitam conſequamur, neceſſe eſt ad ipſam per bona opera cum gratia progredi. In quibus quidem oportet nos eſſe diligentes, atq; perſeuerantes. Non enim ſaluus erit

qui non perſeuerauerit vſq; in finem: nec perſeuerauerit, qui negligens fuerit. Vtraq; ad ſalutem neceſſaria eſt, & diligentia, & perſeuerantia: perſeuerantiam vox *iugiter*, diligentiam vox *intentos* notat: & vtriuſq; parens, & effectrix eſt gratia. Rectè igitur cum gratia ſimul eius effectus, ac diligentiam, & perſeuerantiam in bonis operibus à Deo petimus, vt ad æternam gloriam perueniamus.

DOMINICA XVII. post Pentecoſtem.

ORATIO.

Da, quæſumus, Domine populo tuo diabolica vitare contagia, & te ſolum Deum pura mente ſectari.

Quæſumus Deum, vt nobis concedat euitare venena diaboli, & puro corde ipſum ſolum Deum ſequi.

Malos ſpiritus, ſiue malos angelos diuinæ religionis deſertores, ſiue apoſtatas, qui à prima veritate deſciuerunt, verbis græcis modò dæmonas, vel dæmonia, modò diabolos nominamus. Dæmonas, ſeu dæmonia, hoc eſt ſapientes, Cicero à latinis lares, vel Deos penates dici putat, quidam genios. At ſacri Theologi

ſpiritus, qui diuinæ poteſtati reſiſtere voluerunt, quòd minùs ſapientes fuerint, per antiphraſim dæmonas appellant: quos & adoleſcentes ob inſipientiam, & arrogantiam qualitates iuuenum proprias vocant. Igitur hoc nomen dæmon, ſeu dæmonium in ſcripturis ſacris ſemper malum ſpiritum, ſeu malum angelum notat: etſi quidam vt bonos à malis diſtinguant, illos εὐδαίμονας, hos κακοδαίμονας nuncupant. Diabolus verò dicitur, non (vt quibuſdam placet) quia deorſum ruit, ſed quia calumniator, acutus, verſutus, callidus, malitioſus, obſcurus, fallax, veterator, ſimulator, vafer eſt: qui ſacræ ſcripturæ verba perperam interpretatur, aliud ſimulat, aliud agit, nobis ſemper infenſus, iniquus, nocens. nam διαβολὴ, vnde hoc nomen diabolus ducitur, calumniam, aſtutiam, ſimulationem, malitioſam actionem, fraudulentam interpretationem, atque iniquam vexationem denotat. Hinc ob ſimulatam virtu-
Luc. 12. quam vexationem denotat. Hinc ob ſimulatam virtu-

*Io.*8. tem, fictamq; perſonam hypocrita; &, quia homines veneno tollit, homicida; & quia hominem vita priuat, neq; vlli parcit, mors vocitatur, ſedens ſuper equum pallidum, quem infernus (ſicuti ſcribit B. Ioannes) ſubſequitur. Et quoniam homines ſuo exemplo, ſuoq; ſuaſu ad
*Apoc.*6. dum, quem infernus (ſicuti ſcribit B. Ioannes) ſubſequi-
*Io.*12. & peccandum inducit, caput eſt malorum, princeps & re-
*Eph.*6. ctor mundi, hoc eſt amatorum rerum terrenarum, rex
Iob 41. filiorum ſuperbiæ, quæ vniuerſa vitia comprehendit. Et licet nos à nobis aliquando peccemus, quia ſæpè malas cogitationes à nobis ſuſcipimus nullo inſtinctu, hortatuque diaboli; tamen quia primorum parentum peccatum, quod totam naturam humanam vitiauit; ſuaſu diaboli commiſſum eſt, ideò noſtrorum omnium peccatorum cauſam eſſe in diabolo aſſerimus. Dicitur
*Eph.*2. & 6. quoque diabolus princeps tenebrarum harum, nimi-

rum

rum huius aëris caliginoſi, quem ſacra ſcriptura tenebras appellat. In hunc quippe caliginoſum aërem, cùm peccauit, è cælo detruſus eſt ad exercendam hominum virtutem, atque conſtantiam. Vnde ſacra ſcriptura dæmonas vocat aues cæli, quòd per aërem, quem eadem ſacra ſcriptura cælum nuncupat, perinde vt aues, huc illucq; peruolitent. Præ omnibus tamen cognomentis, quæ plurima ex plurimis rerum nefariarum molitionibus inuenit, tentatoris cognomen ex maxima malitia, ſuperbia, inuidia obtinuit. Tentare autem nobis hoc loco eſt non conari, aut experiri, ſed hortari, & inducere quempiam ad peccandum. Tentat quidem nos mundus, ſcilicet praui homines, falſis ſententijs, vanis pollicitationibus, mendacibus verbis, malis vitæ exemplis: tentat quoque nos caro multis blanditijs, ac variarum voluptatum illecebris: ſed præ omnibus nos tentat diabolus omni tempore, omni ex parte, omnibus modis. Non ſolùm enim vigilantes multis machinis, ſed etiam dormientes multiplicibus inſomnijs appetit: neque ſolùm in aduerſis, ſed etiam in ſecundis rebus à via recta nos deducere molitur: neque ſolùm malefacientibus adeſt, ſed etiam benefacientibus inſidiatur: adhibetque ſocios mundum, & carnem; quorum armis nobiſcum incredibili contentione decertat. Et, vt ne cæleſtium bonorum hæreditatem adeamus, & diuinorum honorum poſſeſſione priuemur, atque immortalitatis gloria ſpoliemur, terrenarum diuitiarum curis nos implicat, & in vanarum dignitatum ſtudijs detinet, atque humanæ laudis cupiditate mirificè afficit. Omnes quoque omnium ſenſuum vias ad capiendos, opprimendoſque nos occupat. Nam inſidet coloribus, miſcet ſe odoribus, inſerit ſonis, infundit ſaporibus,

Matt. 13 et Luc. 8.

Matt. 4. et 1. Theſ

meat

meat per omnem tactum, vt ſuauitate omnium ſenſuum nos ad peccandum illiciat. Tum ſenſilium rerum imagines, quæ in phantaſia inhærent, acriter excitat, vt malas cogitationes capiamus, quæ tanquam venena quædam animum inficiunt: quem etiam præteritarum voluptatum recordatione delinire conatur. Mox appetitum, quem vocant ſenſitiuum, nunc cogitationem informando, nunc corporis ſpiritus, atque humores commouendo, varijs perturbationibus afficit, & libidinum facibus accendit; multis inſuper modis, ne rationi obtemperet, inſtruit. Adhæc intelligentiæ tum phantaſmata obijcit inuitamenta malorum, tum intelligibilium rerum eas ſpecies offert, quas ſecum conferens in dubitationem de Chriſtiana fide veniat, diſſentiatque à veris, & ſanis ſacræ ſcripturæ ſententijs: veluti qui rationibus phyſicis nixi in graues errores dilapſi ſunt. Poſtremò nihil non agit, vt à ſummi rerum omnium rectoris & domini gratia, & ſtudio nos abſtrahat, noſtræ ſalutis, & gloriæ, quam ipſe turpiter amiſit, inuidus. Nec mirum, ſi is, qui Dei parem poteſtatem inſolenter, & nequiter appetijt, ſacrificia, cultumque diuinum requirens, mentes hominum poſſidere deſideret, à quibus celebretur, & colatur vt Deus. Nec dici poteſt quot nocendi vias quærat, quot fallendi artes excogitet, vt in angelum lucis ſe ſæpè conuertat: & quos dolis capere non poteſt, vi tandem vincere conatur: vt verè & aptè quod de inferni furia Virgilius, ipſe de diabolo dixeris. ----- *Cui nomina mille*

Mille nocendi artes.

2.Cor.11 *Aeneid. 7.*

Neque illi deeſt ingenium, cuius ſingularis eſt vigor: neque rerum caret experientia, quam plurimis ſeculis maximam acquiſiuit; neque vllius eſt in terris

Iob 41.

poten-

potentia, quæ cum eius potentia comparetur. Cur igitur inquies Deus patitur hominem à diabolo tentari, ſi & ingenio, & experientia, & viribus longè homine ſuperior eſt? nimirum quia dat ipſe ſuam homini gratiam, qua poſſit diabolum vincere: vt ab vniuerſorum imperatore meritam coronam accipiat, & illudat diabolo draconi. Pſ. 103. Illuditur autem diabolo, cùm eius tentatio ſuperatur. Iucundumq; eſt Deo vinci à mortali homine diabolum, qui potentia Deum æquiparare auſus eſt. Itaque nos hac oratione petimus à Deo gratiam, qua diaboli tentationes ſuperemus. *Da populo tuo*] dona famulis tuis. hæc verba ſunt alibi explicata. *vitare*] vt euitet, ac fugiat *contagia diabolica*] venena diaboli. Venena diaboli ſunt tentationes diaboli; quæ, ni vitentur, tanquam venena homines extinguunt. nam diuina gratia priuant. Hoc vnum enim tentatori propoſitum eſt, nempe hominem à diuina beneuolentia ſeuocare, & à cæleſti conſociatione ſeiungere, ſecumque in interitum, & in inferna pertrahere. Et aptè diaboli tentationes venena nuncupantur; quia venenum eſt proprium ſerpentis: diabolum verò eſſe veterem, & tortuoſum ſerpentem ſacra ſcriptura teſtatur; Iſa. quippe qui ſerpentis formam induit, cum primam omnium hominum matrem Euam doloſè tentauit. & Gen. 3. quam vim habet venenum ad labefactandum hominis corpus, eandem habet diaboli tentatio ad labefactandam animam. Accipitque diabolus à peccatis, in quæ homines inſtigat, cognomina. Tentans enim hominem ſuperbia, Leuiathan; tentans inani gloria, Lucifer; tentans auaritia, Mammon; tentans ira, Abdedon; tentans inuidia, Satanas; tentans gulæ vitio, Behedemoth; tentans luxuria, Aſmodæus nominatur. quo-

rum

rum Hebraicorum nominum interpretatione ſuperſedemus, ne ſermonem hunc noſtrum longiorem æquo faciamus. Et ab effectis, cùm facit hominem ſurdum, aſpis; cum facit oſtentatorem, baſiliſcus; cùm facit iracundum, & auarum, draco; à ferocia verò, & crudelitate, quam in Dei ſeruos exercet, ſimilitudine quadam dicitur leo. Notatur etiam multis alijs nominibus, quæ ſacras paginas euoluentes apertè cognoſcent. Eius quidem tentationes vitare, & vincere nemò ſinè Dei gratia poteſt. Rectèque Dauid inquit, Niſi quia Dominus àdiuuit me, paulò minus habitaſſet in inferno anima mea. Hanc gratiam hac oratione poſcimus. *& ſectari te Deum ſolum*] ſequi te, qui ſolus es Deus; vel te vnum, neque vllum alium ſequi. Sequitur Deum ſolum, qui diuinum inſtinctum ſequitur, diuinaque præcepta propter ipſum Deum, non ob vllam terrenam mercedem ſeruat. *mente pura*] quod ſuprà dictum eſt corde ſyncero. Pura hoc eſt munda; nullius terrenæ rei contactu, affectuue commaculata: vel pura, hoc eſt ſimplici; quæ ipſum ſolum Deum reſpicit.

Pſ.90. *Pſ.93.*

DOMINICA DECIMAOCTAVA post Pentecoſtem.

ORATIO.

Dirigat corda noſtra, quæſumus, Domine

tuæ

tuæ miſerationis operatio: quia tibi ſinè te placere non poſſumus.

Precamur Deum, vt voluntates noſtras ſuæ diuinæ miſerationis opera dirigat: quia ipſi placere ſinè eius gratia neutiquàm poſſumus.

Omnia diuina auxilia, quibus nobis in noſtris malis, & neceſſitatibus opitulatur Deus, diuinæ miſerationis opera dicuntur; quia pro ſua pietate nobis & beneficentia ſubuenit, noſtrarum miſertus calamitatum, atq; miſeriarum. Et quia nobis pro ſua benignitate & miſeratione ſuccurrit, non pro vllis noſtris meritis, ob id diuinum auxilium gratia nominatur: quæ ipſa gratia nominatur etiam (vt diximus) miſericordia; quia non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Et diuina quidem auxilia, quibus nos Deus ad conſequendam æternam vitam, & gloriam iuuat, multa ſunt. Nam modò noſtrum animũ ad ſe commouet, atq; conuertit; modò ad recipiendam gratiam, quæ ipſum ſanet, & ornet, præparat; modò ipſam gratiam infundit; modò ſanum & valentem in virtutum vijs ad cæleſtem gratiam dirigit; modò ab aduerſis rebus tuetur, atque ab hoſtium impetu, & incurſione defendit: tandem in bono perſeuerantem in cælum inducit. Eccleſia modò vnum, modò aliud auxilium petit, vt ad optatum tandem portum perueniamus. Hac oratione poſcimus auxilium, gratiam, ſeu motionem illam, quæ noſtras voluntates ad ſummum bonum inſtituat. Nam etſi quis præditus eſt gratia, quam vocari diximus habitualem,

Dom. 16 poſt Pét.
Rom. 9.

adhuc tamen eget ſingulari quadam, & diuina motione, qua ad finem dirigatur. *Operatio*] opera, vel actio *miſerationis tuæ*] tuæ pietatis, atque miſericordiæ, ſiue gratiæ. nam Dei gratiam vocari miſericordiam ſuprà docuimus. Operatio diuinæ gratiæ, mea ſententia, eſt motus diuinæ gratiæ, quo moueri, & dirigi corda no-
Pro. 18. ſtra precamur. *dirigat*] Dei eſt greſſus hominis dirigere. Dirigere eſt ad certum aliquem finem certa ratione res aliquas diſponere. Finis, ad quem omnia referre debemus, eſt æterna felicitas: via verò, qua itur ad æternam felicitatem, ſunt ſanctæ cogitationes, & actiones. Quando igitur ſinè Deo neque bonas cogitationes inire, neque rectas actiones effingere poſſumus, ipſum oramus, vt diuinæ ſuæ gratiæ motu noſtros animos regat. *Corda noſtra*] noſtros animos, ſeu noſtras voluntates. Cor enim pro voluntate frequenter poni non ſemel à nobis dictum eſt. Voluntas finis à Theologis vocatur intentio: ac qualis finis, talis & voluntas eſt, bona, inquàm, vel mala: ac qualis voluntas, tales & actiones ſunt, quæ ab ipſa voluntate proficiſcuntur. Quamobrem vt actiones noſtræ bonæ ſint, oportet voluntatem noſtram eſſe bonam. Bona eſt, quæ bonum benè vult. Vt bonum benè velit, diuinæ miſerationis operatio facit. *quia non poſſumus placere tibi ſinè te*] Deo placemus, cùm benè viuimus: benè viuimus, cùm diuina mandata ritè ſeruamus. verùm ipſa ritè ſeruare ſinè eius gratia nequimus. Ergo placere Deo ſinè Deo, ſeu Dei gratia non poſſumus. Et quidem omnis creatura, quà creatura eſt, opus inquàm Dei creatoris, placet
Sap. 11. Deo ſuo creatori, qui nihil odit eorum, quæ fecit; quandoquidem bona ſunt cuncta, quæ fecit. Neque enim poteſt, qui ſapientiſſimus, optimus, & potentiſſimus

eſt,

eſt, malam vllam rem facere. Sed tamen Deus quibuſdam creaturis etiam ſingulari quadam cura, & prouidentia proſpicit. Hæ ſunt creaturæ capaces rationis, quas æternæ felicitatis voluit eſſe participes. Verùm vt à Deo diligamur ad gloriam, neceſſe eſt donari ab eo illa gratia, quæ nos diuinæ voluntati obſequentes efficit. Ergo interpretaberis *non poſſumus placere tibi*] nequimus probari à te ad gloriam *ſinè te*] ſinè illa tua gratia, quæ tibi gratum hominem facit. Neminem enim facit æternæ gloriæ conſortem, quem antè ſuæ gratiæ compotem non fecerit.

DOMINICA DECIMANONA
poſt Pentecoſtem.

ORATIO.

Omnipotens, & miſericors Deus vniuerſa nobis aduerſantia propitiatus exclude; vt mente, & corpore pariter expediti quæ tua ſunt liberis mentibus exequamur.

Oramus Deum, vt à nobis res omnes contrarias propitius expellat; vt mente, ſimul & corpore prompti, liberatis ab omni ſolicitudine animis, eius mandata conficiamus.

Domi. 2. poſt Epiphan. & Domi. 7. poſt Pét.

De diuina prouidentia, quæ proprium Dei munus eſt, aliàs diximus. De gratia licet aliàs dictum ſit, tamen in ſequente oratione copioſiùs dicetur.

DOMINICA DECIMASEXTA poſt Pentecoſtem.

ORATIO.

Tua nos, quæſumus, Domine gratia ſemper præueniat, et ſequatur, ac bonis operibus iugiter præſtet eſſe intentos.

Præuenientem nos, & ſubſequentem; ac bonis addicentem operibus gratiam poſtulamus.

Gratia quandoque ſignificat beneuolentiam. ſic dicimus aliquem eſſe apud omnes in gratia, pro amari, & redire in gratiam pro in beneuolentiam. quandoque ſignificat beneficium. itaque dicimus referre gratiam. quandoque ſignificat memoriam beneficij cum voluntate remunerandi. Hinc dicitur gratus, qui accepti beneficij meminit, remuneratque, ſi poteſt: cui opponitur ingratus. Hoc loco de gratia loquimur, vt eſt donum à Deo nobis gratuitò, non pro vllo noſtro merito, alioquin merces eſſet, non donum, ſed pro ſua mera beneficentia collatum, nec ſecundum naturæ noſtræ principia, ſed ſupra humanæ naturæ conditionem:

nem: quo donati æternam gloriam promereremur. Licet enim quicquid boni in nobis eſt donum Dei ſit, tamen donum, quo ad placendum Deo diuinitus exornamur, quia eſt omnium donorum, quæ homini à Deo conferuntur, maximum, gratiæ nomen inprimis obtinuit. Diciturque à Theologis modò res ſacra, quia hominem Deo ſacrat, modò gratia gratum, hoc eſt acceptum Deo faciens, quia, quem ornat, Deo charum & acceptum reddit. Gratus enim non ſolùm qui beneficij memoriam retinet, verùm etiam qui alicui acceptus eſt, dicitur. Etenim Deus, vtpote rerum omnium author, & gubernator, rem quanque mouet ad ſuum finem, ſuæ, inquàm, naturæ perfectionem: ad quam aſſequendam cuique certas vires, & virium inſtrumenta largitus eſt. Et rationis quidem expertibus, quæ ab alijs potius aguntur, quàm ſe ipſa agunt, naturales virtutes indidit ad ſuam naturalem perfectionem accommodatas: rationis verò capacibus, nempe hominibus, quos ornare cæleſti gloria voluit, præter naturales virtutes, quòd eæ minùs ad adipiſcendam cæleſtem gloriam ſufficiant, diuinam quandam infundit qualitatem, qua in cælum erigantur, & ad attingendam æternam beatitudinem adiuuentur. Eſt igitur gratia, qua de loquimur, diuina quædam qualitas non à natura ingenita, ſed à Deo animæ infuſa, qua ſupra naturalem facultatem ad participandam diuinam naturam, & beatitudinem attollitur. Non enim intrinſecùs ab animæ eſſentia, naturæue principijs, ſed extrinſecùs ab ipſo Deo, Deique bonitate eſt. Itaque rectè B. Petrus Apoſtolus ait magna nobis, & pretioſa donata eſſe, ut conſortes diuinæ naturæ ſimus. *2.Pet.1.*
Quòd autem gratia nobis à ſolo Deo donetur, pro-

Pſ. 83. pheta teſtatur dicens, Gratiam, & gloriam dabit Dominus. Eius etenim eſt dare gratiam, cuius eſt dare gloriam. Atque gloriam non dat, niſi Deus. Verùm etſi tota Trinitas gratiam donat, tamen eius donatio, Spiritui ſancto præcipuè tribuitur, qui eſt amor Dei. ſiquidem ex amore, quo nobis optimè cupit, dat nobis Deus gratiam. Quæ quidem ſi ante peccatum homini ad obtinendam cæleſtem gloriam opus erat, quid poſt vitiatam humanam naturam nonne multò magis neceſſaria erit? Perficit autem animam gratia, vt forma materiam. Ideò eſt vita animæ: recipientesq; hanc gratiam, regenerari dicuntur; quia rurſum formantur in aliam vitam, eamque diuinam. Scio præter hanc gratiam, quam gratum facientem vocant, poni alteram gratiam, quam ijdem Theologi vocant gratis datam, vincentem etiam ipſam omnes humanæ natu-
1. Cor. 12 ræ vires: cuius gratiæ dona in Epiſtola ad Corinthios recenſentur, videlicet ſermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, fides, gratia ſanitatum, operatio virtutum, prophetia, diſcretio ſpirituum, genera linguarum, interpretatio ſermonum; ſed hæc gratia pro aliorum vtilitate, & ſalute cuipiam à Deo confertur. At gratia gratum faciens ipſa eſt, quæ nos Deo ſimiles facit. Atq; ad hanc gratiam recipiendam homo debet ſuam animam præparare. Non enim forma, vt phyſici docent, niſi in materiam præparatam inducitur. Nec tamen ex ſe potis eſt homo præparare animam ſuam, niſi prius à Deo ad ipſam præparandam moueatur; ſicut
Io. 6. Chriſtus ait, Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum. Itaque mouet Deus, vt is, à quo eſt omnis motio: homo verò ſe ipſum mouet ad gratiam, vt motus à Deo. Quæ motio, quoniam eſt à

creato

creato ad increatum bonum, dicitur conuerſio ſecundum illud, Conuerte me Domine, & conuertar. Quòd Hier. 31.
ſi minùs ſe ipſum mouerit homo, culpa in ipſo eſt, quia diuinæ motioni reſiſtit. Rectè igitur per Oſeam Deus Cap. 13.
dicit, Perditio tua Iſrael tantùm ex te, ex me auxilium tuum. Præparato animo gratia infunditur, quæ peccata delet, ac virtutibus animum ornat. Vt quis igitur in Dei gratiam redeat, primò requiritur Dei virtus cor hominis ad ſe mouentis, tum motus hominis ad Deum, poſtremò iuſtificantis gratiæ infuſio: quanquàm interdum contingit hominem ſimul moueri à Deo, & à ſe præparari, ac vitalem gratiam, ſeu iuſtificantem, & habitualem accipere; vt in conuerſione B. Pauli euenit, qui eodem momento, quo à Deo motus eſt, & cor ſuúm præparauit, & habitualem gratiam accepit. Sed hæc conuerſio dicitur miraculoſa, quia præter aliorum hominum conuerſionum morem facta eſt. Iam habitualis gratia, ſicut & diuina motio, duplex eſt, altera vocatur à Theologis operans, altera cooperans. Operans eſt, quæ voluntatem ita afficit, vt verè velit bonum; cooperans verò eſt, quæ motum voluntatis ad bonum adiuuat, atq; confirmat. Illa dicta eſt operans, quia ſinè voluntate agit; hæc cooperans, quia cum voluntate agit, motum eius ad propoſitum bonum regens; Atq; hæc ſanè eſt principium, & forma eius operis, cui merces debetur æterna; quia ſimul à gratia, & voluntate prouenit. Operantem gratiam vocauit Dauid miſericordiam præuenientem, cùm dixit, Miſericordia eius præueniet Pſ. 58.
me; cooperantem verò gratiam vocauit miſericordiam ſubſequentem, cùm dixit, Et miſericordia tua ſubſequetur me. Pſ. 22.
Gratiam appellauit miſericordiam, quoniam opus miſericordiæ eſt. Non enim noſtris neceſſi-

tatibus, quarum maxima eſt peccatum, ſubueniret, ni noſtri miſereretur. Eſt autem cooperans gratia dicta comitans, ſequens, vel ſubſequens, non quia ſequatur voluntatem. non enim gratia voluntatem, ſed voluntas gratiam ducem, & adiutricem ſequitur. ſed ratione operantis, quæ antecedit: quæ & præueniens ratione ſequentis vocata eſt. Diceret forte quis illam priorem, hanc poſteriorem. Quæ diuiſio non diuerſarum gratiarum differentes eſſentias, ſed diuerſos eiuſdem gratiæ demonſtrat effectus. Vtrumq; gratiæ effectum à Deo poſtulamus. *Gratia tua*] Gratia hoc loco vel pro gratuita diuina motione incitante voluntatem ad volendum bonum, & adiuuante, ne fruſtrà velit, ponitur; vel pro gratuito diuino illo dono, quod diximus habituale vocari. Quòd ſi pro habituali dono ponitur, operantem, & cooperantem intellige duos ipſius effectus excitantis voluntatem ad bonum, & adiuuantis: quorum alter dicitur prior ratione poſterioris. *præueniat nos*] nos ad bonum excitet, ad quod nunquam ipſi à nobis excitaremur, *& ſequatur*] adiuuet voluntatis noſtræ motum ad bonum, ad quod ipſam mouit. Quæ diuina motio, vel quis habitualis gratiæ effectus præueniens, aut ſubſequens dicatur, iam expoſitum eſt. *ac præſtet*] efficiat nos *eſſe iugiter intentos operibus bonis*] eſſe continenter, ſiue ſinè intermiſſione, vel perpetuò attentos bonis actionibus, hoc eſt continuò, ac diligenter bona opera facere. Gratia eſt forma bonorum operum, atq; principium: per quæ nos ducit ad propoſitum finem, vitam, inquam, æternam. Ergò vt æternam vitam conſequamur, neceſſe eſt ad ipſam per bona opera cum gratia progredi. In quibus quidem oportet nos eſſe diligentes, atq; perſeuerantes. Non enim ſaluus erit

qui

qui non perſeuerauerit vſq; in finem: nec perſeuerauerit, qui negligens fuerit. Vtraq; ad ſalutem neceſſaria eſt, & diligentia, & perſeuerantia: perſeuerantiam vox *ingiter*, diligentiam vox *intentos* notat: & vtriuſq; parens, & effectrix eſt gratia. Rectè igitur cum gratia ſimul eius effectus, ac diligentiam, & perſeuerantiam in bonis operibus à Deo petimus, vt ad æternam gloriam perueniamus.

DOMINICA XVII. post Pentecoſtem.

ORATIO.

Da, quæſumus, Domine populo tuo diabolica vitare contagia, & te ſolum Deum pura mente ſectari.

Quæſumus Deum, vt nobis concedat euitare venena diaboli, & puro corde ipſum ſolum Deum ſequi.

Malos ſpiritus, ſiue malos angelos diuinæ religionis deſertores, ſiue apoſtatas, qui à prima veritate deſciuerunt, verbis græcis modò dæmonas, vel dæmonia, modò diabolos nominamus. Dæmonas, ſeu dæmonia, hoc eſt ſapientes, Cicero à latinis lares, vel Deos penates dici putat, quidam genios. At ſacri Theologi

ſpiritus, qui diuinæ poteſtati reſiſtere voluerunt, quòd
minùs ſapientes fuerint, per antiphraſim dæmonas ap-
pellant: quos & adoleſcentes ob inſipientiam, & arro-
gantiam qualitates iuuenum proprias vocant. Igitur
hoc nomen dæmon, ſeu dæmonium in ſcripturis ſacris
ſemper malum ſpiritum, ſeu malum angelum notat.
etſi quidam vt bonos à malis diſtinguant, illos ἐυδαί-
μονας, hos κακοδαίμονας nuncupant. Diabolus verò
dicitur, non (vt quibuſdam placet) quia deorſum ruit,
ſed quia calumniator, acutus, verſutus, callidus, mali-
tioſus, obſcurus, fallax, veterator, ſimulator, vafer eſt:
qui ſacræ ſcripturæ verba perperam interpretatur, aliud
ſimulat, aliud agit, nobis ſemper infenſus, iniquus, no-
cens. nam διαβολὴ, vnde hoc nomen diabolus duci-
tur, calumniam, aſtutiam, ſimulationem, malitioſam
actionem, fraudulentam interpretationem, atque ini-
Luc. 12. quam vexationem denotat. Hinc ob ſimulatam virtu-
*Io.*8. tem, fictamq; perſonam hypocrita; &, quia homines ve-
neno tollit, homicida; & quia hominem vita priuat, neq;
vlli parcit, mors vocitatur, ſedens ſuper equum palli-
*Apoc.*6. dum, quem infernus (ſicuti ſcribit B. Ioannes) ſubſequi-
tur. Et quoniam homines ſuo exemplo, ſuoq; ſuaſu ad
*Io.*12. & peccandum inducit, caput eſt malorum, princeps & re-
*Eph.*6. ctor mundi, hoc eſt amatorum rerum terrenarum, rex
Iob 41. filiorum ſuperbiæ, quæ vniuerſa vitia comprehendit.
Et licet nos à nobis aliquando peccemus, quia ſæpè
malas cogitationes à nobis ſuſcipimus nullo inſtinctu,
hortatuque diaboli; tamen quia primorum parentum
peccatum, quod totam naturam humanam vitiauit,
ſuaſu diaboli commiſſum eſt, ideò noſtrorum omnium
peccatorum cauſam eſſe in diabolo aſſerimus. Dicitur
*Eph.*2. quoque diabolus princeps tenebrarum harum, nimi-
& 6.
rum

rum huius aëris caliginoſi, quem ſacra ſcriptura tenebras appellat. In hunc quippe caliginoſum aërem, cùm peccauit, è cælo detruſus eſt ad exercendam hominum virtutem, atque conſtantiam. Vnde ſacra ſcriptura dæmonas vocat aues cæli, quòd per aërem, quem eadem ſacra ſcriptura cælum nuncupat, perinde vt aues, huc illucq; peruolitent. Præ omnibus tamen cognomentis, quæ plurima ex plurimis rerum nefariarum molitionibus inuenit, tentatoris cognomen ex maxima malitia, ſuperbia, inuidia obtinuit. Tentare autem nobis hoc loco eſt non conari, aut experiri, ſed hortari, & inducere quempiam ad peccandum. Tentat quidem nos mundus, ſcilicet praui homines, falſis ſententijs, vanis pollicitationibus, mendacibus verbis, malis vitæ exemplis: tentat quoque nos caro multis blanditijs, ac variarum voluptatum illecebris: ſed præ omnibus nos tentat diabolus omni tempore, omni ex parte, omnibus modis. Non ſolùm enim vigilantes multis machinis, ſed etiam dormientes multiplicibus inſomnijs appetit: neque ſolùm in aduerſis, ſed etiam in ſecundis rebus à via recta nos deducere molitur: neque ſolùm malefacientibus adeſt, ſed etiam benefacientibus inſidiatur: adhibetque ſocios mundum, & carnem; quorum armis nobiſcum incredibili contentione decertat. Et, vt ne cæleſtium bonorum hæreditatem adeamus, & diuinorum honorum poſſeſſione priuemur, atque immortalitatis gloria ſpoliemur, terrenarum diuitiarum curis nos implicat, & in vanarum dignitatum ſtudijs detinet, atque humanæ laudis cupiditate mirificè afficit. Omnes quoque omnium ſenſuum vias ad capiendos, opprimendoſque nos occupat. Nam inſidet coloribus, miſcet ſe odoribus, inſerit ſonis, infundit ſaporibus,

Matt. 13 et Luc. 8.

Matt. 4. et 1. Theſ

meat

meat per omnem tactum, vt ſuauitate omnium ſenſuum nos ad peccandum illiciat. Tum ſenſilium rerum imagines, quæ in phantaſia inhærent, acriter excitat, vt malas cogitationes capiamus, quæ tanquam venena quædam animum inficiunt: quem etiam præteritarum voluptatum recordatione delinire conatur. Mox appetitum, quem vocant ſenſitiuum, nunc cogitationem informando, nunc corporis ſpiritus, atque humores commouendo, varijs perturbationibus afficit, & libidinum facibus accendit; multis inſuper modis, ne rationi obtemperet, inſtruit. Adhæc intelligentiæ tum phantaſmata objicit inuitamenta malorum, tum intelligibilium rerum eas ſpecies offert, quas ſecum conferens in dubitationem de Chriſtiana fide veniat, diſſentiatque à veris, & ſanis ſacræ ſcripturæ ſententijs: veluti qui rationibus phyſicis nixi in graues errores dilapſi ſunt. Poſtremò nihil non agit, vt à ſummi rerum omnium rectoris & domini gratia, & ſtudio nos abſtrahat, noſtræ ſalutis, & gloriæ, quam ipſe turpiter amiſit, inuidus. Nec mirum, ſi is, qui Dei parem poteſtatem inſolenter, & nequiter appetijt, ſacrificia, cultumque diuinum requirens, mentes hominum poſſidere deſideret, à quibus celebretur, & colatur vt Deus. Nec dici poteſt quot nocendi vias quærat, quot fallendi artes excogitet, vt in angelum lucis ſe ſæpè conuer-
2.Cor.11 tat: & quos dolis capere non poteſt, vi tandem vincere conatur: vt verè & aptè quod de inferni furia Virgi-
Aeneid. 7. lius, ipſe de diabolo dixeris. ----- *Cui nomina mille*
Mille nocendi artes.

Neque illi deeſt ingenium, cuius ſingularis eſt vigor: neque rerum caret experientia, quam plurimis
Iob 41. ſeculis maximam acquiſiuit; neque vllius eſt in terris

poten-

potentia, quæ cum eius potentia comparetur. Cur igitur inquies Deus patitur hominem à diabolo tentari, ſi & ingenio, & experientia, & viribus longè homine ſuperior eſt? nimirum quia dat ipſe ſuam homini gratiam, qua poſſit diabolum vincere: vt ab vniuerſorum imperatore meritam coronam accipiat, & illudat diabolo draconi. *Pſ. 103.* Illuditur autem diabolo, cùm eius tentatio ſuperatur. Iucundumq; eſt Deo vinci à mortali homine diabolum, qui potentia Deum æquiparare auſus eſt. Itaque nos hac oratione petimus à Deo gratiam, qua diaboli tentationes ſuperemus. *Da populo tuo*] dona famulis tuis. hæc verba ſunt alibi explicata. *vitare*] vt euitet, ac fugiat *contagia diabolica*] venena diaboli. Venena diaboli ſunt tentationes diaboli; quæ, ni vitentur, tanquam venena homines extinguunt, nam diuina gratia priuant. Hoc vnum enim tentatori propoſitum eſt, nempe hominem à diuina beneuolentia ſeuocare, & à cælesti conſociatione ſeiungere, ſecumque in interitum, & in inferna pertrahere. Et aptè diaboli tentationes venena nuncupantur; quia venenum eſt proprium ſerpentis: diabolum verò eſſe veterem, & tortuoſum ſerpentem ſacra ſcriptura teſtatur; *Iſa.* quippe qui ſerpentis formam induit, cùm primam omnium hominum matrem Euam dolosè tentauit. *Gen. 3.* & quam vim habet venenum ad labefactandum hominis corpus, eandem habet diaboli tentatio ad labefactandam animam. Accipitque diabolus à peccatis, in quæ homines inſtigat, cognomina. Tentans enim hominem ſuperbia, Leuiathan; tentans inani gloria, Lucifer; tentans auaritia, Mammon; tentans ira, Abededon; tentans inuidia, Satanas; tentans gulæ vitio, Behedemoth; tentans luxuria, Aſmodæus nominatur. quorum

rum

rum, Hebraicorum nominum interpretatione ſuperſedemus, ne ſermonem hunc noſtrum longiorem æquo
Pſ.90. faciamus. Et ab effectis, cùm facit hominem ſurdum, aſpis; cum facit oſtentatorem, baſiliſcus; cùm facit iracundum, & auarum, draco; à ferocia verò, & crudelitate, quam in Dei ſeruos exercet, ſimilitudine quadam dicitur leo. Notatur etiam multis alijs nominibus, quæ ſacras paginas euoluentes apertè cognoſcent. Eius quidem tentationes vitare, & vincere nemo ſinè Dei gratia poteſt. Rectèque Dauid inquit;
Pſ.93. Niſi quia Dominus àdiuuit me, paulò minus habitaſſet in inferno anima mea. Hanc gratiam hac oratione poſcimus. *& ſectari te Deum ſolum*] ſequi te, qui ſolus es Deus; vel te vnum, neque vllum alium ſequi. Sequitur Deum ſolum, qui diuinum inſtinctum ſequitur, diuinaque præcepta propter ipſum Deum, non ob vllam terrenam mercedem ſeruat. *mente pura*] quod ſuprà dictum eſt corde ſyncero. Pura hoc eſt munda, nullius terrenæ rei contactu, affectuue commaculata: vel pura, hoc eſt ſimplici; quæ ipſum ſolum Deum reſpicit.

DOMINICA DECIMAOCTAVA poſt Pentecoſtem.

ORATIO.

Dirigat corda noſtra, quæſumus, Domine

tuæ

tuæ miſerationis operatio: quia tibi ſinè te placere non poſſumus.

Precamur Deum, vt voluntates noſtras ſuæ diuinæ miſerationis opera dirigat: quia ipſi placere ſinè eius gratia neutiquàm poſſumus.

Omnia diuina auxilia, quibus nobis in noſtris malis, & neceſſitatibus opitulatur Deus, diuinæ miſerationis opera dicuntur; quia pro ſua pietate nobis & beneficentia ſubuenit, noſtrarum miſertus calamitatum, atq; miſeriarum. Et quia nobis pro ſua benignitate & miſeratione ſuccurrit, non pro vllis noſtris meritis, ob id diuinum auxilium gratia nominatur: quæ ipſa gratia nominatur etiam (vt diximus) miſericordia; quia non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Et diuina quidem auxilia, quibus nos Deus ad conſequendam æternam vitam, & gloriam iuuat, multa ſunt. Nam modò noſtrum animũ ad ſe commouet, atq; conuertit; modò ad recipiendam gratiam, quæ ipſum ſanet, & ornet, præparat; modò ipſam gratiam infundit; modò ſanum & valentem in virtutum vijs ad cæleſtem gratiam dirigit; modò ab aduerſis rebus tuetur, atque ab hoſtium impetu, & incurſione defendit: tandem in bono perſeuerantem in cælum inducit. Eccleſia modò vnum, modò aliud auxilium petit, vt ad optatum tandem portum perueniamus. Hac oratione poſcimus auxilium, gratiam, ſeu motionem illam, quæ noſtras voluntates ad ſummum bonum inſtituat. Nam etſi quis præditus eſt gratia, quam vocari diximus habitualem,

Dom. 16 poſt Pět.
Rom. 9.

adhuc tamen eget ſingulari quadam, & diuinà motione, qua ad finem dirigatur. *Operatio*] opera, vel actio *miſerationis tuæ*] tuæ pietatis, atque miſericordiæ, ſiue gratiæ. nam Dei gratiam vocari miſericordiam ſuprà docuimus. Operatio diuinæ gratiæ, mea ſententia, eſt motus diuinæ gratiæ, quo moueri, & dirigi corda noſtra precamur. *dirigat*] Dei eſt greſſus hominis dirigere. Dirigere eſt ad certum aliquem finem certa ratione res aliquas diſponere. Finis, ad quem omnia referre debemus, eſt æterna felicitas: via verò, qua itur ad æternam felicitatem, ſunt ſanctæ cogitationes, & actiones. Quando igitur ſinè Deo neque bonas cogitationes inire, neque rectas actiones effingere poſſumus, ipſum oramus, vt diuinæ ſuæ gratiæ motu noſtros animos regat. *Corda noſtra*] noſtros animos, ſeu noſtras voluntates. Cor enim pro voluntate frequenter poni non ſemel à nobis dictum eſt. Voluntas finis à Theologis vocatur intentio: ac qualis finis, talis & voluntas eſt, bona, inquàm, vel mala: ac qualis voluntas, tales & actiones ſunt, quæ ab ipſa voluntate proficiſcuntur. Quamobrem vt actiones noſtræ bonæ ſint, oportet voluntatem noſtram eſſe bonam. Bona eſt, quæ bonum benè vult. Vt bonum benè velit, diuinæ miſerationis operatio facit. *quia non poſſumus placere tibi ſinè te*] Deo placemus, cùm benè viuimus: benè viuimus, cùm diuina mandata ritè ſeruamus: verùm ipſa ritè ſeruare ſinè eius gratia nequimus. Ergo placere Deo ſinè Deo, ſeu Dei gratia non poſſumus. Et quidem omnis creatura, quà creatura eſt, opus inquàm Dei creatoris, placet Deo ſuo creatori, qui nihil odit eorum, quæ fecit; quandoquidem bona ſunt cuncta, quæ fecit. Neque enim poteſt, qui ſapientiſſimus, optimus, & potentiſſimus eſt,

Pro. 18.

Sap. 11.

eſt, malam vllam rem facere. Sed tamen Deus quibuſdam creaturis etiam ſingulari quadam cura, & prouidentia proſpicit. Hæ ſunt creaturæ capaces rationis, quas æternæ felicitatis voluit eſſe participes. Verùm vt à Deo diligamur ad gloriam, neceſſe eſt donari ab eo illa gratia, quæ nos diuinæ voluntati obſequentes efficit. Ergo interpretaberis *non poſſumus placere tibi*] nequimus probari à te ad gloriam *ſinè te*] ſinè illa tua gratia, quæ tibi gratum hominem facit. Neminem enim facit æternæ gloriæ conſortem, quem antè ſuæ gratiæ compotem non fecerit.

DOMINICA DECIMANONA *poſt Pentecoſtem.*

O R A T I O.

Omnipotens, & miſericors Deus vniuerſa nobis aduerſantia propitiatus exclude; vt mente, & corpore pariter expediti quæ tua ſunt liberis mentibus exequamur.

Oramus Deum, vt à nobis res omnes contrarias propitius expellat; vt mente, ſimul & corpore prompti, liberatis ab omni ſolicitudine animis, eius mandata conficiamus.

Superiore oratione poſtulauimus diuinum auxilium, quod noſtras voluntates ad verum, & ſummum bonum dirigeret: hac poſtulamus illud auxilium, quod à nobis res omnes noſtræ ſaluti contrarias expellat. Quicquid aſperum, triſte, durum, difficile perpeſſu, ac contra naturam eſt, malum vocatur; ſicuti bonum eſt, quicquid natura aſciſcit. Sed quia ſenſus rationi repugnat, non quicquid ſenſus aſpernatur, etiam eſt contrarium rationi. Vnde corporis ſanitas ſaluti animæ ſæpè obfuit; & res ſecundæ pleroſque à virtutis via detorſerunt. Quarè vir pius, & conſtans non omnia mala precatur à ſe depelli. quo enim pacto virtutum officia exerceret, & experientia quæ ſequenda, quæ fugienda ſint addiſceret? ſed tantùm ea, quæ ſaluti animæ poſſunt officere. *propitiatus*] placatus, placiduſque effectus. *exclude*] remoue, repelle. Excludere eſt non intrò admittere: poniturque pro reijcere. *vniuerſa aduerſantia nobis*] res omnes contra nos, noſtramque ſalutem pugnantes, quæcunque illæ ſint. *vt expediti pariter mente, & corpore*] id eſt, vt neque animi, neque corporis malis impediti, ſed tanquàm è quibuſdam laqueis, ſeu retibus extricati, *exequamur*] conficiamus *quæ tua ſunt*] quæ ad honorem & gloriam tuam pertinent, nempe tua mandata *mentibus*] animis *liberis*] liberatis ab omni perturbatione, & ſolicitudine, atque expeditis à moleſtijs, & rerum terrenarum curis.

DOMI-

DOMINICA VIGESIMA poſt Pentecoſtem.

ORATIO.

Largire, quæſumus, Domine ſupplicibus tuis indulgentiam placatus, & pacem; vt pariter ab omnibus mundentur offenſis, & ſecura tibi mente deſeruiant.

Deum rogamus, vt propitius det nobis veniam peccatorum, & pacem; vt ſimul ab omnibus, quæ animum offendunt, maculis emundemur, & tranquilla illi mente ſeruiamus.

Peccata tum animam commaculant, tum hominem à Deo diuidunt, & à ſe ipſo. Quarè peccator neque ſecum ipſe, neque cum Deo conſentit: & notatum maculis animum gerens, Deo eſt odioſus, ac debitor pœnarum, quæ peccatis debentur. Quas dum de nobis Deus ſumit, nobis dicitur iraſci. Precamur itaq; Deum, vt placatus nobis peccata condonet, noſq; ſibi, ac nobis ipſis conciliet, vt ſinè vlla offenſione, & perturbatione animi diuinæ maieſtati dignè, purè, ac placidè ſeruiamus. *placatus*] lenitus, reconciliatus, exoratus. Placatur, qui commotus ira mitigatur, & tanquàm mare tempeſtatibus concitum ſedatur. Iram Dei mouent peccata;

cata; eandem mitigat pœnitentia: non quòd iræ com-
Domi. 3. poſt Pét. motio,& ſedatio ſint (vt alias diximus) in Deo,qui im-
mobilis,& immutabilis eſt, ſed quòd Deus faciat, quæ
quis facit his animi commotionibus affectus. Qui iratus
eſt,ſi poteſt,punit. eſt enim ira vindictæ cupiditas. cùm
iram demittit,deſinit vindictam appetere. Proinde cùm
Deus punit, dicitur iraſci: cùm pœnam remittit, dici-
tur placari. Remittit autem pœnam tunc, cùm homo
ſe ipſum pœnitentia punit: etſi non poteſt homo pec-
catorum pœnitere, ni commotus à Deo. Sic ſe res ha-
bet, Deus hominem ad pœnitentiam mouet: homo à
Deo commotus ad pœnitentiam damnat peccata, &
dolet malè actis: dolenti parcit Deus lenitus, & placa-
tus eius pœnitentia. *largire*] pro tua benignitate,ac pie-
tate concede,qui totus pius, totus miſericors es. *indul-*
Domi. 4. Aduent. *gentiam*] veniam peccatorum. Indulgere (vt aliàs dixi-
mus) quandoque eſt remittere,quandoque permittere,
quandoque concedere: vnde indulgentia & remiſſio-
nem,hoc eſt veniam, & permiſſionem, & conceſſionem
ſignificat. Hoc loco ſignificat veniam peccatorum.
& pacem] animi tranquillitatem, & ſecuritatem: quam
Domi. 2. poſt Epiphaniá. venia peccatorum parit. Pax (vt alibi diximus) ſignifi-
cat tranquillitatem,atque concordiam: & eſt duplex,
Heb. 13. altera interior,altera exterior: & vtraq; à Deo eſt. qui
ob id Deus pacis appellatur. Exterior pax eſt, cùm di-
uerſorum hominum ſenſus, animiq; conſentiunt: inte-
rior verò eſt ſedatio perturbationum animi, mentiſque
tranquillitas,cùm ſcilicet animæ partes inferiores,atq;
ſuperiores inter ſe rectè compoſitæ ſunt, atque inferio-
res ſuperioribus parent. vnde pax modò animi ſani-
tas, modò concordia vocatur; cùm videlicet animi
cogitationes atque ſententiæ in omni re congruunt.
Cùm

Cùm verò animus à ſe ipſo diſſidet, tunc contrarijs ſententijs in diuerſas partes diſtrahitur, & inſanis appetitionibus, tamquàm fluctibus huc illucque iactatur. Quarè nec ſapere, nec valere benè poteſt. Nec tamen interiorem hanc pacem habere poſſumus, ni cum Deo pacem priùs habuerimus; & in eius beneuolentiam redierimus, à qua peccando diſceſſimus. Nam vt appetitus rationi obtemperet, neceſſe eſt, vt animus Dei dicto audiens ſit. Quando igitur Chriſtus nos cum Deo conciliat, & in eius beneuolentiam reducit, ipſe certè eſt noſtræ pacis interioris effector. Quarè dicitur à B. Paulo Pax noſtra: quia pax noſtra cum Deo ab ipſo *Eph. 2.* eſt. Sed quoniam dum ſumus in hac vita, ſemper eſt nobis cum vitijs pugnandum, multaq; ſemper à nobis deſiderantur, quia ſemper multarum rerum egemus, ideò tutam, & perfectam pacem, dum hic viuimus, habere non poſſumus: ſed erit in cœlo perfecta, vbi nulla erit perturbatio, nullius mali timor, nullius boni deſiderium; quià replebimur in bonis domus Dei, & ſatia- *Pſ. 64.* bimur, cùm apparuerit gloria eius. *fidelibus tuis*] tuis famulis. *vt pariter*] vt ſimul. Hoc aduerbium *pariter* vel iungitur *omnibus offenſis*, ſicq; erit ſenſus; vt omnibus ſimul offenſis mundentur. non enim vnum peccatum remittitur, & aliud non: nullaq; eſt pœnitentia, quæ ſimul omnia peccata non damnat. vel refertur ad vtrumque verbum *mundentur*, & *deſerant*. Non enim Deo dignè ſeruit, qui non omnium peccatorum eſt purus. *mundentur*] purificentur; *omnibus offenſis*] peccatum maculat animam, obſcurando tanquàm nube quadam intelligentiam, ac praua affectione inquinando voluntatem. Itaq; prauitas & ignorantia ſunt offenſiones animæ, quia nimirum lædunt animam: vel etiam quia lædunt

diuinam maieſtatem, ſimul ac noſtram animam. *&* tua gratia mundati *deſeruiant tibi*] tuis parendo mandatis. Seruire enim eſt ſe alienæ voluntati ſubijcere. *mente ſecura*] animo tranquillo. Securus dicitur quaſi ſinè cura. cura verò eſt moleſta cogitatio. vt mare ſinè tempeſtatibus eſt ſedatum, ſic animus ſinè moleſtis cogitationibus eſt ſecurus. Moleſtis cogitationibus caret, qui mundanis ſolicitudinibus eſt liber, neq; aliud cogitat, quàm Deo placere.

DOMINICA VIGESIMAPRIMA poſt Pentecoſtem.

ORATIO.

Familiam tuam, quæſumus, Domine continua pietate cuſtodi; vt à cunctis aduerſitatibus, te protegente, ſit libera, et in bonis actibus tuo nomini ſit deuota.

Quæſumus Deum, vt familiam ſuam pia cuſtodia ſemper contineat; vt ab omnibus rebus aduerſis eius præſidio ſit incolumis, & in bonis actionibus eius nomini dedicata.

Quid familia, quid pietas, quæ res aduerſæ, quæ actiones ſint bonæ, hæc omnia ſuperioribus orationibus expoſita

poſita ſunt. Vnum hoc loco exponendum eſt, quid ſit in bonis actibus Dei nomini eſſe deuotum. Sed, & deuotus quis dicatur ſuprà explicatum eſt. Deuouere eſt dedicare, & conſecrare: deuotaq; res eſt, quæ alicui nuncupata eſt. Qui ſuas bonas actiones Deo dedicat, vel qui benè agendo nihil aliud reſpicit, quàm Dei gloriam, is in bonis actibus Dei nomini eſt deuotus; quos nimirum ad Deum refert, ac propter Deum, Deiq; nomine ſuſcipit. De Dei nomine multa ſuprà diximus.

Dom. infra Oct. Aſcenſ.

Dom. infra Oct. Natiuit. & 2. poſt Pent.

DOMIN. VIGESIMA SECVNDA poſt Pentecoſtem.

ORATIO.

Deus refugium noſtrum, & virtus, adeſto pijs Eccleſiæ tuæ precibus, author ipſe pietatis, & præſta, vt quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur.

Deum, qui eſt præſidium noſtrum, & fortitudo, oramus, vt, qui pietatis eſt author, pias Eccleſiæ ſuæ preces exaudiat, detq; nobis efficienter obtinere, quod fidenter poſtulamus.

Si quid virium in nobis eſt, id totum à Deo eſt: neq; in nobis eſt vlla animi recta, & laudabilis affectio, quam non informauerit gratia Dei. Idemq; Deus, qui nos ad

petendum à ſe aliquid inſtruit; etiam in nobis obtinendi fiduciam ingenerat. Quamobrem petimus hac oratione preces noſtras audiri, quas ipſo inſtigante, & inſtituente toto ex pectore fundimus. *Deus refugium noſtrum*] Hoc ſumptum eſt ex Pſalmo 45. Deus noſter refugium, & virtus. Etſi refugio idem eſt, quod recuſo, & formido, tamen refugium eſt idem, quod præſidium, hoc eſt locus, in quo cuſtodimur, & tuti ſumus. Deus eſt vnicum noſtrum refugium, ſiue præſidium firmiſſimum, atq; tutiſſimum; in quo qui ſperat non infirmatur in æternum: quia ſperantem in diuina virtute ſemper ipſe cuſtodit, atq; tuetur. Felix itaque, qui cum Dauid inquit,
Pſ. 26. Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meũ: ſi conſiſtat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo.
Pſ. 22. &, Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. *& virtus*] nomen virtus
Domi. 6. poſt Pẽt. etſi omnem animi laudabilem affectionem (vt aliàs diximus) ſignificat, tamen primò impoſitum eſt ad ſignificandam fortitudinem, quam etiam hoc loco ſignificat.
Deut. Illic verò; Ne dicas in corde tuo fortitudo mea, & potentia manus meæ fecit mihi virtutem hanc magnam, ſignificat opus forte, ſtrenuum, & animoſum. Eſt porrò Deus noſtra virtus, ſeu fortitudo, quatenus ſua nos gratia fortes, & conſtantes facit. *adeſto*] adeſſe eſt præſentem eſſe: præſens eſt, qui bonus eſt, fauetq;. Adeſt Deus his, quibus benè cupit, quorum preces audit, quorum neceſſitatibus ſubuenit: abeſt ab his, quos à longè cognoſcit: quorum inquàm vitam, & animum improbat. Adeſſe precibus eſt preces audire. *pijs*] religioſis, ſanctis, & caſtis; quæ reuerenter, attentè, & ſanctè fiunt.
Dom. 14. poſt Pẽt. *Eccleſiæ tuæ*] tuorum fidelium. De Eccleſia ſatis ſuprà dictum eſt. *ipſe author pietatis*] ſi Deus eſt author virtutum.

tum,& pietas eſt virtus,etiam pietatis eſt author Deus. Author idem eſt,quod effector,atq; magiſter. Quidam ab augendo dici volunt authorem, leguntq; auctorem à ſupino auctum verbi augeo. Pietas,quod ſæpe diximus, propriè venerationem erga parentes ſignificat. Itaq; veneratio erga Deum,qua ratione eſt omnium pater, rectè pietas vocatur; vocatur & religio; vocatur & ſanctitas. Sanctitas cogitationes,& actiones in Dei cultum, & dilectionem intendit: atque hoc differre à religione videtur, quòd religio in his, quæ diuinum cultum præcipuè ſpectant,vt in ſacrificijs,oblationibus, alijſq; ceremonijs diuino numini famulatur; ſanctitas verò mentem & animum Deo addicit. proinde magis ratione, quàm re diſtat à religione. Quidam pietatem, ſanctitatem, religionem ſic inter ſe diſtinguunt, vt pietas ipſa ſit,quæ Deum cognoſcit,ſanctitas,quæ debitum illi cultum tribuit,religio,quæ diuini numinis,& cultus aſſidua meditatione,& exercitatione hominem cum Deo coniungit,atq; conſtringit. Pietas ſanctitatem, ſanctitas religionem elicit. Religio ſanctitatem religat, ſanctitas pietatem confirmat. Quod verò pietas interdum miſericordiam ſignificat, alibi etiam dictum eſt. *& præſta*] fac,da, concede, *ut conſequamur*] obtineamus *efficaciter*] cum efficacitate, ſiue efficacia, totoue conatu. ni forte velis interpretari cum effectu. quàm tamen propriè haud ſcio. *quod fideliter*] cum fide,& fiducia. Fideliter hoc loco dictum eſt à fide, prout fiduciam ſignificat. Nam fidei plures ſunt ſignificationes. quas ſuprà expoſuimus. *petimus*] poſtulamus. Cùm de oratione loqueremur, tres conditiones eſſe diximus eius orationis, quam Deus exaudit: prima eſt, vt res neceſſarias ad ſalutem, altera, vt cum fiducia, tertia, vt cum perſeuerantia petat. pri-

Domi. 1. poſt Epiphaniã.

Dom. 13. poſt Pét.

mam conditionem videtur notare vox *piis*, alteram vox *fideliter*, tertiam vox *efficaciter*.

DOMIN. VIGESIMATERTIA post Pentecoſtem.

ORATIO.

Abſolue, quæſumus, Domine tuorum delicta populorum, et à peccatorum nexibus, quæ pro noſtra fragilitate contraximus, tua benignitate liberemur.

Obſecramus Deum, vt nobis fidelibus ſuis peccata dimittat, ſoluatq́; vinculis, quibus nos fragilitas humana conſtrinxit.

Culpas, & culpis debitas pœnas dimitti nobis à Deo rogamus. Peccata vocantur culpæ, quatenus ipſorum principium in nobis eſt. nullum enim eſt peccatũ, quod voluntarium non ſit. Et peccato debetur pœna ratione diuinæ iuſtitiæ: cuius pœnæ obligatio nuncupatur reatus. Et peccata, & reatus quædam quaſi vincula ſunt: peccata quidem ſunt vincula, quibus nos diabolus conſtrictos tenet; quippe quibus non ſinit peccatorem boni quicpiam agere: reatus verò ſunt nexus, quibus apud Dominum & Iudicem omnium Deum ad pendendas peccatorum pœnas obligamur. Sed de peccatis, peccatorumq́; vinculis ſatis alibi diximus: quibus nemo poteſt nos ſoluere, niſi Deus. *Abſolue*] ſolue, libera. *delicta populorum tuorum*] puto magis latinè dici abſolue populos

Domin. Septuag.

pulos

pulos tuos delictis, quàm abſolue delicta populorum tuorum. Delictum latinè idem eſt, quod peccatum. nam delinquo idem eſt, quod pecco. quidam tamen putant delictum à peccato differre, & delinquere à peccare: quòd peccare ſit malum facere, quod prohibetur, delinquere verò ſit non facere bonum, quod iubetur. Nonnulli ſic à peccato delictum diſtinguunt, vt delictum ſit, quòd ignoranter, peccatũ verò, quod ſcienter committitur. At ſæpè eſt vtriuſq; eadem ſignificatio. Ergo delicta interpretaberis peccata, ſeu culpas. Qui verò ſint Dei populi, & qua ratione plures ſint, & vnus, alias diximus. *& pro benignitate tuâ*] ex tua, vel propter tuã lenitatem, placabilitatẽ, manſuetudinem, pietatem, atq; clementiam. Benignus enim eſt, qui facilis eſt ad remittendam iram, ad miſerendum, ad ignoſcendum. Offenditur Deus noſtris peccatis, ſed lenitur noſtra pœnitentia: miſertuſq; noſtræ fragilitatis nobis facilè ignoſcit; cuius natura eſt ipſa benignitas. Ignoſcere peccato eſt opus clementiæ; moderari iram eſt opus manſuetudinis, miſereri eſt opus pietatis. Igitur benignitas, manſuetudo, miſericordia, ſeu pietas, & clementia pro facilitate, ſeu propenſione ad ignoſcendum ponuntur. Significat etiam benignitas liberalitatem, qua vel opere, vel pecunia benè ſit indigenti. *liberemur*] ſoluamur, ſeu diſſoluamur *à nexibus peccatorum*] vinculis peccatorum, quibus ob peccata obligamur: quæq; vocantur reatus. Nexus vs, vel nexum xi, eſt propriè ciuilis quædam obligatio, qua non ſolùm bona, ſed etiam corpus obligatur. Qui peccat debitione pœnæ obligatur. Soluit autem is peccata, peccatorumq; pœnas, qui pro peccatis noſtris mortuus eſt. *quæ*] peccata. ni velis legere *quos* nexus. *contraximus*] conflauimus, ſiue effecimus. *pro fragilitate*

Domi. 1. Aduent. & 4. poſt Paſcha.

gilitate noſtra] propter infirmitatem noſtram, ſeu naturæ humanæ mortalis, debiliſq; conditionem. Etenim clementia, quæ quidem ſinè ratione non eſt, facinoribus ignoſcit ijs, quæ plus imprudentiæ, & fragilitatis, quàm malitiæ, & improbitatis habent. Oramus igitur & culpis ſolui, & reatibus liberari.

DOMIN. VIGESIMA QVARTA poſt Pentecoſtem.

ORATIO.

Excita, quæſumus, Domine tuorum fidelium voluntates, vt diuini operis fructum propenſius exequentes, pietatis tuæ remedia maiora percipiant.

Oramus diuino afflatu voluntates noſtras concitari, vt bonorum operum fructum faciliùs perſequentes, diuinæ pietatis ad peccata remedia maiora percipiamus.

Dum in terris ſumus, quoniam in via ſumus, ſemper virtutibus proficere poſſumus, quia ſemper ad æternam felicitatem progredimur. id quod B. Paulus ad Philippenſes de ſe ipſo ſcribit, Non quòd iam acceperim, aut perfectus ſim. Qui verò putat ſe ad ſummum perueniſſe profectum, cum in via ſit, is plurimùm errat ab ipſa via, quæ ad cæleſtem gloriam ducit. Eſt enim viatoris proprium

Cap.3.

prium incedere. Progreſſus ad immortalitatẽ eſt in nobis diuinæ gratiæ, ac virtutum accretio. De qua accretione ſuprà diximus, vbi de fidei, ſpei, & charitatis incremento loquuti ſumus. Meremur autem virtutũ, & gratiæ incrementũ bonis actionibus: quarum quidem forma, & principium eſt diuina gratia. Nam ſi bonis actionibus æternã beatitudinem à Deo promeremur, etiam progreſſionem ad ipſam beatitudinem promerebimur: Et diuina gratia, quæ nos ad propoſitum finem dirigit, etiam ad progrediendum mouet. Eſt itaq; progreſſus ad immortalitatem diuinæ gratiæ incrementum, quo de virtute in virtutem procedimus. Hoc incrementum hac poſtrema oratione poſcimus, vt ad patriam perueniamus, ad quam peregrinationis tempore tendimus. *Excita*] commoue. Diuina enim gratia non ſolùm nos ad diuinam gloriam dirigit, verùm etiam ſuo nos ad ipſam motu agitat. Hunc gratiæ motum poſtulamus, ne qua negligentia nos tardos, ſtupidoſq; efficiat. Etenim in via Dei qui negligens eſt, facilè dilabitur; & qui non progreditur, regreditur. *voluntates fidelium tuorum*] hæc verba ſunt alijs locis explicata. *ut propenſius*] vt libentius, & ardentiore ſtudio *exequentes*] perſequentes *fructum operis diuini*] incrementum gratiæ, atq; virtutum. ni quis fortè velit fructum interpretari delectationem, quæ ex bonis actionibus capitur. Incrementum gratiæ fructus abundans eſt; quia nos ad vitam æternam ducit. Hoc ipſum eſt, quod D. Paulus Philippenſibus ſcribit, *Cap. 4.* Non quæro datum, ſed requiro fructum abundantem in ratione veſtra. Et vt qualibet actione bona promeremur æternam vitam, ſic etiam promeremur gratiæ incrementum. Opus diuinum eſt actio bona, quam diuina gratia informat. Nam licet actio noſtra ſit, quia voluntate

Dom. 13. poſt Pẽt.

tate

tate noſtrà à nobis ſuſcipitur, magis tamen eſt Dei, cuius gratia componitur, atq; perficitur. Atq; vt dicimus actionem bonam, & actiones bonas, ſic etiam dicimus opus diuinum, & opera diuina. Dicimus opus tanquàm genus quoddam omnia opera complectens; dicimus opera, quoniam rationibus tanquàm formis diſtincta inter ſe ſunt. Dicuntur autem bona opera diuina, quoniam ipſorum forma eſt gratia diuina. Ideoque noſtra bona opera magis ſunt Dei, quàm noſtra; quoniam authore, & adiutore ſuſcepta & perfecta ſunt Deo. *recipiant remedia pietatis tuæ maiora*] omne incrementum gratiæ cæleſtis eſt remedium maius. Remedium eſt contra morbos medicina, contra res malas cautio, contra dolores fomentum. Gratia Dei pietas Dei eſt: pietas Dei miſericordia Dei eſt. Ergo remedia pietatis diuinæ ſunt diuinæ gratiæ remedia contra res nobis aduerſas. quæ remedia quò maiora ſunt, eò etiam potiora, & optabiliora ſunt. Ex his vides bonorum operum initium, progreſſionem, & abſolutionem eſſe à diuina gratia; ſicut B. Paulus ait, Confidens hoc ipſum, quoniam qui cœpit in vobis opus bonum perficiet.

Phi. 1.

FINIS.

Imprimatur.

Vinc. Epiſc. Nic. Vic. Gen. Neap.
M. Cherub. Veron. Aug. Theol. Curiæ Archiep.

NEAPOLI,
Ex Typographia Stelliolæ, Ad Portam Regalem.
M. D. XCVII.



8-1